Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joachim Oporin

Apologia Pro Vsv Doctae Simplicitatis Contra Scepticos Adversvs Viri Celeberrimi M. Iacobi Carpovii Ill. Gymnasii Vinar. Rectoris Specimen Privs Et Posterivs Svbtilitatis Simplicitate Non Expvgnatae : Qva Lvcvlentivs Nvnc Exponit Id, Qvod Nimivm Est In Concordia Rationis Ac Fidei Inqve Demonstratione Verae Divinae Revelationis Ex Criteriis Rationis

Lipsiae: Apvd Io. Christian. Langenhemivm, MDCCXXXXI

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853209317

Druck Freier Zugang



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853209317/phys_0001
DFG

390 A. B.
48. b. 8.

Fa-1092 (5.)

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853209317/phys_0002
DFG

APOLOGIA
PRO
VSV DOCTAE SIMPLICITATIS
CONTRA SCEPTICOS
ADVERSVS VIRI CELEBERRIMI
M. IACOBI CARPOVII
ILL. GYMNASII VINAR. RECTORIS
SPECIMEN PRIVS ET POSTERIVS
SVBTILITATIS SIMPLICITATE
NON EXPVGNATAE:
QVA LVCVLENTIVS NVNC EXPONIT
ID, QVOD NIMIVM EST IN CONCORDIA RATIONIS AC FIDEI INQVE DEMONSTRATIONE VERAE DIVINAE REVELATIONIS EX CRITERIIS RATIONIS,

IOACHIMVS OPORINVS, D.
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA S. THEOL.
PROF. ORDINARIVS.

LIPSIAE
APVD IO. CHRISTIAN. LANGENHEMIVM
MDCCXXXXI.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853209317/phys_0005
DFG

APOLOGIA

PRO

VSV DOCTAE SIMPLICITATIS CONTRA SCEPTICOS

ADVERSVS VIRI CELEBERRIMI

M. IACOBI CARPOVII

NEC GYMNASII VINAR. RECTORIS

SPECIMEN PRIVS ET POSTERIVS

SVBTILITATIS SIMPLICITATE

NON EXPVGNATAE:

QVA LVCVLENTIVS NVNC EXPVNIT

ID, QVOD NIMIVM ESTIN CONCORDIA RATIONIS AC FIDEI INQVE

DEMONSTRATIONE VERAE DIVINAE REVE-

LATIONIS EX CRITERIIS RATIONIS,

IOACHIMVS OPORINVS, D.

IN ACADEMIA GEORGIA-AVGVSTA S. THEOL.

PROF. ORDINARIVS.

LIPSIAE

APVD IO. CHRISTIAN LANGENHEIMVM

MDCCXXXI.

RPAEFATIO AD LECTOREM.

Seculum viuimus, quo diuinum illud donum, humana ratio, nobiliſſimum quippe agendi principium, (ad cuius ductum qui iudicant, non tam philoſoſophorum priuilegio vtuntur, quam ſequuntur id, quod noſtrae omnium naturae eſſentiale eſt, nec ab vllo homine magis ſeparari poteſt, quam ſenſus propriae exiſtentiae) inter chriſtianas gentes diligentiſſime excolitur. Dudum quidem ſyſtema ſpeciatim theologiae naturalis (de qua nunc vnice loquar) inter chriſtianos tam egregiam formam accepit, qualem ſaltem ante Chriſti aduentum nunquam habuit. Interim rationis per reuelationem illuſtratae adiutaeque tanta hodie in theologiam naturalem ſunt merita, quanta vix antea fuerunt, ita, vt iniquiſſimus foret, quisquis ei, qui hoc beneficio recte vtatur, vllam de tam ſapienti rationis et patefactionis coniunctione controuerſiam mouere, aut eundem plagii accuſare velit. Neque tamen reprehendendi ſunt, quotquot Philoſophorum Theologorumque, perpendentium tum ingenium hominum ad rerum optimarum peruerſos vſus paratiſſimum, tum experientiam

in dies singulos increscentem, prouident sollicite, nequid detrimenti capiat res christiana per id, quod nimium aliquando est in studio theologiae naturalis. In his iam tum suo tempore erat VERVLAMIVS, vir summus, qui tr. de augmentis scientiarum L. III. c. II. p. m. 77. *ex intuitu*, inquit, *rerum naturalium, et humanae rationis principiis, de fidei mysteriis vel ratiocinari, vel etiam suadere vehementius, aut rursus ea curiosius introspicere, et ventilare, et de modo mysterii inquirere, haut tutum, meo iudicio fuerit.* Nec intempestiue etiam in Dissertatione Lipsiae CIↃIↃCXCIX. habita, quae inscribitur: *de eo, quod nimium est in theologia naturali* §. 24. M. ABRAHAMVS IAESKE sic monuit: *mirari sane soleo scriptores etiam celeberrimos, qui theologiae naturalis et philosophiae moralis capita ita ab aliquo tempore tractare inceperunt, vt his clariora vix scriptura traderet, et hoc modo philosophia non distingueretur a gratia, quae christianorum corda illuminat. Equidem non ignoro, quod excellentissimi huius scientiae scriptores moneant, se christianorum theologiam naturalem et philosophiam moralem tradere. At limites tamen inter christianorum theologiam naturalem et hominum sibi relictorum ab initio accurate praemittendi, et saepius inculcandi fuissent.* Hactenus IAESKIVS! Id ipsum autem, fateor, vbi factum semper non est, sed potius, quaecunque contra rationem non pugnabant, aut ei conformia esse deprehendebantur, lumini naturae securius adscripta sunt; contigit, quod Vener. WEISMANNVS Diss. *de erroribus quibusdam et abusibus vero theologiae naturalis pretio vsuique legitimo contrariis* (Tubingae CIↃIↃCCXXV.) deplorauit: *professio*, inquiens, *christianae religionis* (a subtilioribus inter nos Deistis) *non quidem omnino, et cum plena determinatione reiicitur, attamen reipsa tam parum creditur et attenditur, tam exilem vim habet in mentes et corda*

istorum

istorum hominum, quam habere posset, si non existeret, vel si nulla prorsus esset. Quod vero malum cum in dies singulos augetur magis, quam imminuitur; ex animo subscribo sententiae eiusdem Theologi summi, quae l.c. sic habet: *id vero minime ferendum esse existimamus, cum praetextu tam perfecti systematis sapientiae et theologiae naturalis euehuntur nimium rationis lumina, vires naturae, profectus denique quasi sola ratiocinatione impetrati. Certe dum plurimorum theologia medios inter christianos philosophica magis est, quam christiana, dum saepe vix per transcennam inspectis sacris litteris nihil sciunt aut credunt de Deo, nisi quod vel propria qualicunque ratiocinatione assequuntur, vel per traditionem philosophicam acceperunt, et tamen addito vel manifesto vel occulto scripturarum contemtu, aut saltem inexcusabili earum neglectu, non nisi magnifica de hac theologia sua naturali crepant, et praesumunt; illorum vtique ampullae certis se produnt indiciis, et reuera magnum inane sunt; quidquid vero rei habent admistum, in vltima analysi ex plagio, hoc est, ex veritatibus reuelatis, inter cuius praeconia publica et priuata nati sunt et educati, suam potius originem trahunt, quam ex illis fontibus, quibus omnem eius rei gloriam adscribunt.* En, beneuole lector, veram causam, quare ante annum, et quod excurrit, in Commentatione mea de vsu doctae simplicitatis contra Scepticos c. III. Viro cel. M. IAC. CARPOVIO contradixerim, specialem indolem medii reconciliationis hominum cum Deo per θεάνθρωπον ex principiis sanae rationis deriuanti, et contra scepticos propugnanti. Dn. CARPOVIVS quidem in *specimine priore atque posteriore subtilitatis simplicitate non expugnatae* (quod vtrumque Vinariae sub elapsi anni finem prodiit) in longe aliam de me opinionem concessit, speciatim Specim. II. §. X. (nescio, an cum aliquali spe-

cie) existimans, me ex odio contra theologiam dogmaticam eius calamum strinxisse. Verum enim vero sicut non alio, quam dixi, animo commentationem meam scripsi; ita eodem quoque apologiam hanc meam pro vsu doctae simplicitatis contra scepticos vtrique specimini Carpouiano nunc oppono, vt clarius exponam atque propugnem, quid hodie sit *nimium in vsu rationis in sacris.* Tantum enim abest, vt Scepticos per illud nimium et nescio quam κακοζηλίαν philosophicam ad saniorem mentem reducamus, vt potius audacia illorum, contra necessitatem et vtilitatem reuelationis propugnandi absolutam quandam rationis perfectionem, non possit non increscere, nexibus quippe demonstrationum eiusmodi nostrarum aperto hiatu laborantibus. Tantum etiam abest, vt scientiae solidae theologiae inde augmentum nasciturum sit, vt potius hac via incautos tyrones eo facile adduxerimus, vt sub praetextu rationis excitatae totam theologiam commutent in philosophiam, et nescio quantam cladem ecclesiae inferant. Id quod autem institutum meum vbi sine omni acerbitate, christianis indigna, nunc persecuturus sum; totus persuadeor, hunc qualemcunque meum pro salute ecclesiae feruorem cum amore proximi consistere optime posse. Tu interim, beneuole lector, vale. Scrib. in Academia Georgia Augusta, Calendis Octobris CIↃIↃCCXL.

* * * 7

CAP. I.

Examen Vindiciarum, quas Dn. Carpouius pro indole ſpeciali medii reconciliationis hominum cum Deo ex ratione per reuelationem excitata demonſtranda exhibuit.

§. I.

Vindiciae medii reconciliationis ex ratione demonſtrandi κατ' ἄνθρωπον factae, examinantur.

Inter praecipuas, quae mihi cum Viro Celeberrimo Dn. CARPOVIO intercedunt, controuerſias primo loco refero ſententiam, quam Vir Cel. Spec. I. §. 14. ſeqq. contra me in commentatione de vſu doctae ſimplicitatis contra ſcepticos c. III. diſſentientem tueri voluit, ſc. ſpecialem indolem medii reconciliationis hominum cum Deo ex principiis rationis demonſtrari poſſe. Praecipuam aliquam hanc voco controuerſiam, quoniam Vir Cel. in ſua, hoc ſuper capite ſententia vindicanda ideo tantopere deſudauit, vt ſuam pro diuina ſcripturae ſacrae origine inde ductam demonſtrationem defenderet, vti ipſe declarat Theol. reu. §. 35. Schol. et ſpecim. II. §. 2. Vindicias tamen huius ſuae ſententiae Vir doctus non vna ratione perſecutus eſt, ſiquidem Specim. I. §. 14. primum κατ' ἄνθρωπον, quod aiunt, contra me diſputat: §. deinde 16. in diſtinctione inter rationem excitatam et non excitatam, quam in Theologia reuelata adhibuerat, praeſidium quaerit, quod etiam iam tum ſpecim. I. §. 14. indicauerat: *adſero*, inquiens, *poſt datam reuelationem diuinam ipſam rationem ſanam ex attributis diuinis et natura hominis perſpicere, quod, ſi Deus hominum miſereri voluerit, non aliud reconciliationis medium, quam ſatisfactio θεανθρώπε vicaria, fide apprehendenda locum potuerit habere.* Interim, cum Vir doctus §. 16. demum de induſtria exponat, quantam fiduciam in diſtinctione inter rationem excitatam et non excitatam collocet: §. 14. autem κατ' ἄνθρωπον contra me diſputet; vindicias etiam haſce κατ' ἄνθρωπον a Dn. CARPOVIO factas, penitus non praeteribo. Exiſtimat quippe Dn. diſſentiens, me, etiamſi in commentatione mea, de vſu doctae ſimplicitatis contra ſcepticos p. 82. naturam et ſpecialem rationem medii reconciliationis cum Deo, ex principiis rationis deriuari poſſe, negauerim, vel inuitum

uitum tamen sibi consentire debere propter verba commentationis, quae p. 79. 80. leguntur: *satisfactio pro genere humano per θεάνθρωπον praestita, post factam eius a Deo patefactionem, principiis rationis aptissime conuenit.* Item: *Scepticus mediatorem generis humani O. M. respuens, non potest non in falsas et erroneas de natura Dei et hominum notiones incidere.* Hinc quippe Vir doctus §. 14. ita argumentatur: *quod si scepticus, satisfactionem θεανθρώπε respuens, in falsas de Dei hominumque natura notiones incidere debet; inter attributa Dei essentialia, considerata simul natura hominis, et hoc medium reconciliationis cum Deo, nexus necessarius intercedit; adeo, vt illis positis, hoc etiam, si Deus hominum misereri voluerit, ponendum: hoc vero negato, illa quoque neganda sint.* Concludit porro, *propter hunc nexum necessarium simpliciter repugnans non esse, vt vi rationis humanae nexus ille perspiciatur, atque adeo doctrina de reconciliatione hominis cum Deo per satisfactionem θεανθρώπε vicariam obtinenda, ex dictis principiis deriuetur.* Verum enimuero, Vir doctus plura ex verbis meis deducit, quam par est. Verba enim commentationis meae p. 79. 80. et 82. probe inter se collata, docebunt, me quidem doctrinae patefactae de mediatore θεανθρώπῳ concordiam cum principiis rationis omnino concessisse, sed ex principiis rationis excitatae specialem indolem medii reconciliationis patefacti, deriuari posse, ad modum Carpouianum, nequaquam adstruxisse. Neque huic moderationi meae obsunt reliqua verba mea: *Scepticus mediatorem generis humani O. M. respuens, non potest non in falsas et erroneas de Dei hominumque natura notiones incidere.* Dn. CARPOVIVS quidem ex his verbis Specim. I. §. 14. sic argumentatur: *cur enim, quaeso, qui satisfactionem vicariam θεανθρώπε respuit, necessario in falsas de Dei hominumque natura notiones incidit? non poteris vllam rationem indicare, nisi quod inter attributa Dei essentialia, considerata simul natura hominis, et medium reconciliationis cum Deo hoc, nexus necessarius intercedat.* Respondeo paucis: *nexus* omnino aliquis hic intercedit, nam ipsa conuenientia medii patefacti cum quibusdam naturaliter euidentissimis Dei attributis et manifesta hominum corruptione est nexus; sed nexus ex mente Dn. CARPOVII

neces-

neceſſarius, per quem fiat, vt, poſitis perfectionibus diuinis ſpecialis quoque patefacti medii indoles neceſſario a Sceptico agnoſcatur, a me nihilominus negatur, quoniam eiusmodi nexus per nexum meditationum Carpouianarum infeliciter demonſtratus eſt. Interim ipſe aliqualis ille inter eſſentialia Dei attributa cum natura hominum et patefactum medium nexus, ipſaque illa, quam ipſe propugno, conuenientia vtique efficit, vt ſcepticus mediatorem generis humani reſpuens, non poſſit non partim ad violenter obſcurandam diuinam iuſtitiam vindicem, partim ad extenuandam hominum labem cum ſuppreſſione quadam ipſius luminis naturalis progredi, atque ſic in falſas et erroneas de Dei hominumque natura notiones incidere. Conuenientia enim et nexus aliqualis, qui hic datur, non poteſt non aculeos ſceptico infigere, quos ſentiat, ſed ita illum conuincere nequit, vti Vir doctus exiſtimauit. Quae, cum ita ſint, ex iis, quae comment. p. 79. 80. ſcripſeram, citra ſucceſſum diſputauit Vir doctus, me ſententiae ſuae fruſtra conciliaturus; vtpote qui non ex principiis rationis excitatae, ſed ex patefactis vnice propugno, non aliud medium reconciliationis, quam ſatisfactionem θεανθρώπε dari poſſe, quoniam, ſi aliud dari potuiſſet, Deus certe filio vnigenito peperciſſet, ſed hac de re non diſputamus.

§. II.

Centrum autem vindiciarum Carpouianarum medii reconciliationis per θεάνθρωπον ex ratione demonſtrandi, continetur diſtinctione inter rationem excitatam et non excitatam.

Redeo nunc ad Specim. I. §. 16. vbi Vir cel. toti demonſtrationi ſuae ad ſpecialem indolem medii reconciliationis pertinenti, lucem adfuſurus, diſtinctionem inter rationem excitatam et non excitatam adfert, et hanc diſtinctionem tamquam Palladium contra obiectiones meas reſpicit. *Dum*, inquit, *ex rectae rationis principiis conſtare, quod non aliud dari poſſit reconciliationis cum Deo obtinendae medium, quam ſatisfactio θεανθρώπε vicaria, fide apprehendenda, defendo, Theol. Reuel.* §. 35; „notet, velim, lector, quod inter rationem excitatam et „non excitatam diſtinguam, Theol. Reuel. §. 428. excitataeque „rationi hanc perſpicientiam indolis genuinae medii ad re„conciliationem cum Deo perueniendi tribuam, non vero „non excitatae, Theol. Reu. §. 428. ſchol. Dicam id clarius: „Fateor, rationem meam, ſi ſibi ſoli relicta fuiſſet, nec reuela-

„tio Sacrae Scripturae anſam veritates de reconciliationis cum „Deo medio curatius perſcrutandi, quin immo ipſarum con„cluſionum cognitionem luculentiſſimam ſuppeditaſſet; non „potuiſſe meditationum ſeriem de reconciliatione cum Deo, „per ſolam ſatisfactionem θεανθρώπε vicariam, fide amplecten„dam obtinenda, ex principiis rationis contexere; quod cla„riſſimis verbis legis Theol. Reu. §. 38. At, poſtquam con„cluſiones ad indolem genuini reconciliationis cum Deo me„dii pertinentes, ex reuelatione ſacrarum litterarum hauſi, mo„doque demonſtrandi analytico rationes earum in attributis „Dei eſſentialibus et natura hominis, vel, generalius loquen„do, in principiis, quae ſana ratio non ignorat, quaeſiui et in„ueni; fieri potuit, vt demonſtratione analytica in ſyntheti„cam verſa, ex iisdem principiis concluſiones, quibus genui„num reconciliationis cum Deo medium continetur, licet in „ſe ex reuelatione iam ante perſpectas, demonſtrarem. Tri„buo igitur rationi, non ſibi ſoli relictae, ſed per reuelationis „lucem ſplendidiſſimam excitatae, quod nexum meditationum „de indole medii reconciliationis cum Deo veri genuina per„ſpexerim, quodque ex principiis rationis eandem indolem, „et rationem ſpecialem legitime demonſtrauerim, etſi ille me„ditationum nexus ita iam adornatus eſt, vt alienam a ſacra „Scriptura adhuc mentem gerens, modo non pertinaciter re„ſiſtat, *ex ſola ratione* de illo poſſit conuinci.„ Huic autem vni diſtinctioni ſuae inter rationem excitatam et non excitatam Vir doctus tantum tribuit, vt verba commentationis meae p. 82. quibus contra illum adſtruxeram, ſpecialem indolem medii reconciliationis cum Deo ex principiis rationis deriuari non poſſe, per hanc vnam diſtinctionem penitus eneruata eſſe, credat. Etenim Specim. I. §. XVI. ſic ſcribit: *Dn. Opor. igitur, dum de natura et ſpeciali ratione medii reconciliationis cum Deo, naturaliter, hoc eſt, ex ratione non conſtare, dicit, aut intelligit rationem ſibi ſoli relictam, aut per reuelationem excitatam. Si prius, non pugnat aduerſus me. Si poſterius, miror obiectiones, quae, ſi res ipſa contrarium non loqueretur, veritatis ſpecie imperitis imponere poſſent, at, demonſtratione publice a me exhibita Theol. reu. §. I - XXXV. ipſo facto*

ctonfirmatae sunt. Pugnatur aduersus ipsius rei euidentiam non dissimili ratione, ac si quis machinam, quam actu constructam cerneret, construi, aut onus, quod viribus hominis moueri, sensuum testimonium euinceret, moueri ab eo posse, negaret. Quali dissentienti sufficere potest responsio, quod, vbi rerum adsunt testimonia, non opus sit verbis.

§. III.

Nexus meditationum Carpouianarum de speciali indole medii reconciliationis ex principiis rationis excitatae deriuatus per compendium repetitur.

Quodsi igitur ex opinione Dn. CARPOVII tota meae contra illum institutae disputationis vis per vnam illam distinctionem *rationis non excitatae atque excitatae* euanescit, ita quidem, vt, si de ratione *excitata* intelligi velim, experientiae contradicam, cum Vir doctus in nexu meditationum suarum ex principiis rationis excitatae id dudum demonstrauerit, contra quod ego adhuc pugnem; certe necessarium est, vt de vsu rationis excitatae Carpouiano paulo accuratius dispiciam, meque contra vsum ipsius rationis *excitatae* Carpouianum disputare, publice nunc professus, euincam, demonstrationem Carpouianam, non obstante immani Viri cel. in eam fiducia, Spec. I. §. XVI. fin. non temere prorsus a me vellicatam fuisse. Profecto cum Vir cel. Spec. II. §. XIV. med. me tantum non prouocet: *neque*, inquiens, *in tota demonstrationis serie vel vnicam propositionem legis, quam Vir S. R. speciatim adgredi ausus fuisset, sed, principiis concessis, contra morem disputandi logicum conclusionem tantum, eamque ne satis quidem intellectam negauit*; non possum non vlcus illud rationis excitatae Carpouianae propius nunc tangere. Antequam vero ad hoc examen me accingo, compendium ipsius nexus meditationum ex ratione excitata in Theol. reu. Carpou. §. I-XXXV. obuiarum hic exhibeo: Supponit quippe Vir cel. l. c. §. II. schol. „legem Dei „postulare obedientiam perfectam, nec sufficere, vt aliquid tan„tum agamus boni, sed plurima et maxima, ratione extensio„nis, intensionis et protensionis, nobis agenda esse, partim cum „Deus serio pro summa voluntatis suae perfectione velit „omne bonum, et in id nitatur, vt tantum in suo opere boni„tatis et perfectionis existat, quantum in eo licet comprehen„dere: partim cum Deus homini facultatem dederit, et con„nexiones rerum, perfectiones imperfectionesque perspi„ciendi et seipsum pro lubitu determinandi etc. Hinc

 enim

„enim sequi asserit, eum velle, vt tantum boni ab homi„ne praestetur, quantum vlla ratione praestare potest, „et hinc lex naturalis et diuina non quodammodo solum, sed „in omni perfectione adimpleatur. Supponit §. III. hanc „(obedientiam perfectam) iure suo Deum ab hominibus po„stulare posse; §. IV. transgressorem legis diuinae esse, quotus„quisque legi naturae exactissimam non praestet obedientiam; „§. V. omnes adeo homines esse transgressores legis diuinae; „§. VI. et schol. omnes homines naturaliter propagatos esse „peccatores, eosque per quoduis peccatum summo Dei in se „dominio refragari; §. VII. Deum pro summa iustitia sua face„re non posse, quin omne peccatum puniat, ideoque omnes „homines poenae diuinae esse obnoxios; §. VIII. omne prae„terea peccatum a Deo infinite puniendum esse; §. X. omnem „hominem poenae duratiue infinitae subiectum esse; §. XIV. „omnes homines, quia sub reatu diuino, ad satisfactionem pas„siuam praestandam obligatos esse; §. XV. dignum autem Deo „fuisse, vt, salua iustitia, hominum misereretur, dignumque „Deo opus fuisse, vt pro sapientia infinita medium, ad homi„nem ex reatu, salua iustitia sua, eripiendum inueniret.„ Quibus igitur suppositis, Vir doctus conditionem illius medii secundum illa sanae rationis principia inuestigat, et extra dubium collocatum esse putat, §. XVI, „quod, cum iustitia Dei „infinita poenam peccatorum infinitam postulat sec. §. VIII. ss. „aut ipsi homini in persona propria, aut in vicario quodam, il„la sustinenda fuerit; §. XVII. quodque vicarius hominum sa„tisfactionem actiuam et passiuam pro hominibus praestare „debuerit etc; §. XXVI. quod probabiliter Deus hominum vi„carius esse voluerit. Hinc autem Vir cel. §. XXXV. conclu„dit, solum illud medium, quod hactenus per principia ratio„nis tradiderat, perfectionibus diuinis ita conforme esse, vt, „positis illis, aliud locum habere non potuerit, vti ex superio„ribus §. suis fuse repetit atque inculcat.

§. IV.

Id quod in hoc nexu meditationum mihi offendiculo est, par-

Vt autem de vero controuersiae nostrae statu constet, statim ab initio generatim significo, quid demum illud sit, quod in nexu meditationum Carpouianarum de speciali indole medii reconciliationis hominum cum Deo, inque vindiciis huius

nexus

nexus, duplici ſpecimine exhibitis, me offendat. Hoc ipſum autem eſt partim ipſe nexus meditationum in ſe ſpectatus, partim nimia Carpouiana in hoc nexu fiducia. Quodſi quidem Vir doctus ſpecialia quaedam rationis excitatae principia hoc conſilio adduxerat, vt conuenientiam ſatisfactionis per θεάνθρωπον factae cum illis vnice oſtenderet; nunquam diſſenſiſſem. Verum integer ille nexus ex principiis, quae ſana ratio non ignorat, hoc conſilio compoſitus, vt *ſpecialis indoles medii reconciliationis ex diuina patefactione cogniti, ex illis principiis ita deriuetur, vt, poſitis attributis diuinis cum natura hominis, non aliud locum habere potuerit reconciliationis cum Deo obtinendae medium, quam ſatisfactio* θεάνθρωπε *vicaria, fide apprehendenda*, vid. Theol. reu. Carp. §. XXXV. et Spec. I. §. XVI. vtique mihi non probatur. Deinde diſplicet mihi quoque tanta Viri cel. fiducia in hoc nexu meditationum collocata, quam non tantum in Theol. reu. §. XXXV. ſchol. prodit, ſed etiam Spec. I. §. XVI. ſic explicat: *ille meditationum nexus ita iam adornatus eſt, vt alienam a S. Scriptura adhuc mentem gerens, modo non pertinaciter reſiſtat*, EX SOLA RATIONE *de illo poſſit conuinci:* itemque Spec. I. §. XVII. *Neque enim contra ſcepticum, nec contra Socini aſſeclam, conuenientiam illam ſimpliciter adſerere, ſufficit, ſed nexus realis, qui inter attributa Dei eſſentialia vna cum natura hominis, et hoc, quod docemus, reconciliationis cum Deo medium intercedit, ante oculos ponendus eſt, quod ego feci luculentiſſime.* Quamquam enim non nego, ſpecialem indolem medii reconciliationis per θεάνθρωπον ex quibusdam rationis principiis illuſtrari, et contra argutias exceptionesque aduerſariorum fortiter defendi poſſe; tamen nego et pernego, ſpecialem illam medii indolem ex *ſola ratione*, et per nexum catenamque principiorum eiusdem, ita demonſtrari poſſe, vt iure ſperare poſſim, homines alienam a Sacra Scriptura mentem adhuc gerentes, modo pertinaciter non reſiſtant, ex ſola ratione conuictum iri. Hi quippe ſunt ſcrupuli, qui me excruciant.

tim ipſe nexus in ſe ſpectatus, partim nimia Viri cel. fiducia in illo, eſt.

§. V.

Equidem fateor, allatam a Viro cel. diſtinctionem rationis excitatae et non excitatae omni ſpecie non deſtitui ad nexum meditationum commendandum, ſiquidem nexus ille princi-

In nexu meditationum Carpouianarum principiis ratio-

nis excitatæ nixo ſpeciatim primum mihi diſplicet praetextus rationis excitatae, quia etſi ratio excitata non eſt ratio, ſibi ſoli relicta; ſolis tamen ea principiis naturalibus contra Scepticos vti debet, ideoque hactenus nihil ſingulare praeſtat.

principiis non rationis non excitatae, ſed excitatae niti ab auctore ſuo dicitur. Neque etiam diſtinctionem rationis excitatae atque non excitatae generatim vellicare poſſum, ſed vtilitatem eiusdem libenter agnoſco, quoniam ea diſtinctio in memoriam nobis reuocat, partim imperfectionem noſtram ſummam, partim beneficium diuinum, per ſacras litteras conceſſum, nosque aptiores reddit ad oſtendendam tum nondum Chriſtianis, tum ſuperciliosis noſtratibus, catenam principiorum naturalium, qualem ſola Scriptura Sacra indicauit; vt quippe hoc pacto vtrique ſapientiam auctoris ſacrarum litterarum venerentur, vtpote qui ea accuratiſſime tradidit, quae vniuerſi Philoſophi paganorum aut ſupine ignorarunt, aut fruſtra quaeſiuerunt; exceptis iis doctrinae paganae capitibus, quae libris aut doctrinis Scripturae Sacrae, ſed deprauatis debentur. At aliter mihi iudicandum eſt de ratione excitata Carpouiana, qua Vir doctus ſpecialem indolem medii reconciliationis hominum cum Deo ex principiis, quae ſana ratio non ignorat, et quidem *ſolis* deriuare et tantopere contra Scepticos propugnare voluit. Vſus quidem rationis excitatae Carpouianus, in nexu meditationum duplex eſt, organicus alter, quo Vir doctus concluſiones (quas vocat Specim. I. §. 14. 16.) ex Sacra Scriptura hauſit; alter propaedeuticus, quo rationes eorum in principiis ſanae rationis quaeſiuit, et inuenire ſibi viſus eſt. Poſterior autem rationis excitatae vſus eſt, quem Vir doctus contra commentationem meam de vſu doctae ſimplicitatis contra Scepticos Cap. III. in Spec. I. §. 16. vindicauit, et contra cuius vindicias ego nunc porro diſputo. Temere tamen a me non diſputari, mihi indicandum eſt. Prius autem, quam hoc faciam, curate inueſtigabo, quid ipſa *ratio excitata*, et qualia eius *principia* ſint ex mente ipſius Dn. CARPOVII? Ratio quidem excitata, fateor, ſecundum Dn. CARPOVIVM, non eſt ratio ſibi ſoli relicta, ſed tamen ea eſt ratio, ex ſolis domeſticis ſuis principiis diſputans et demonſtrans. Vtrumque patet ex Spec. I. §. 14. 16. vbi ratio excitata concluſiones ex Sacra Scriptura haurit, principia vero ex propria penu ſua repetit. Etenim l. c. §. 16. ita legitur: *etſi ille meditationum nexus ita iam adornatus eſt, vt alienam a Sacra Scriptu-*

Scriptura adhuc mentem gerens, modo non pertinaciter reſiſtat, NB. EX SOLA RATIONE *de illo poſſit conuinci.* Quin, res ipſa idem loquitur clariſſime, ſiquidem fieri non poterat, vt Vir cel. principia, in quibus rationes concluſionum patefactarum contra Scepticos quaerebat, ex eodem fonte deriuaret, ex quo concluſiones hauſerat. Ab inueſtigatione igitur rationis excitatae Carpouianae tranſeo ad inquirendum, qualia ſint principia eiusdem. Haec quidem ipſe Vir doctus Spec. I. §. 14. 16. appellat *attributa Dei eſſentialia et naturam hominis,* vel generalius loquendo, *principia, quae ſana ratio non ignorat,* vtpote in quibus rationes concluſionum, ad indolem genuini medii reconciliationis cum Deo pertinentium, et ex reuelatione hauſtarum, modo demonſtrandi analytico quaeſiuit, et, vti exiſtimat, inuenit. Ex ipſa autem ſuperius iam data notione rationis excitatae apparet, principia illa, quae ſana ratio non ignorare dicitur, neceſſario eſſe principia ſanae rationis communia, non quidem, prout ea in hoc vel illo forte homine, praeſertim gentili dantur, ſed, qualia eſſe et haberi poſſunt per res creatas, naturae lumine cognitas, quaeque adeo intellectum per ſe et ſuapte natura in veram attributorum Dei cognitionem inclinare poſſunt. Etiamſi igitur principia Carpouiana, quae ſana ratio non ignorat, propter patefactionem diuinam, Philoſopho Chriſtiano cognitam, ſub lumine etiam reuelationis cognoſcuntur, tamen ea in vſu ſuo contra Scepticos propaedeutico non reſpiciuntur, adhibenturue, niſi principia ſub lumine naturae cognita, manentque adeo hactenus diuerſa a patefactis principia. Principia ſane Carpouiana, quae ſana ratio non ignorat, etiamſi non ſunt principia rationis ſibi relictae, ſed excitatae; tamen principia rationis per ſcripturam excitatae non ſunt cum patefactis confundenda. Hoc vel inde apparet luculentiſſime, quia alias τὸ *non ignorat*, ſignificaret nihil aliud, quam: *approbat, conſentit:* et ſic inermis foret omnis contra Scepticos ex illis principiis inſtituta diſputatio Carpouiana, atque irrita prorſus Viri cel. in nexu ſuo fiducia. Quomodo enim Vir doctus in hoc negotio perfectiones diuinas aliter, quam ſub ſolo lumine naturae, intellectum per ſe et propria virtute inclinante, ſpectare poterat,

cum

cum rationes medii patefacti in principiis sanae rationis quaesiturus esset, nisi vitiosum circulum incurrere voluisset? Talis autem cum sit ratio excitata CARPOVII, taliaque eiusdem principia secundum eundem; existimo patere, quod praetextus rationis excitatae, ex cuius principiis nexus meditationum compositus est, nexum meditationum Carpouianarum, parum iuuet, quamdiu scilicet ratio excitata non nisi *ex sola ratione* (vid. Spec. I. §. XVI.) contra Scepticos disputare potest. Ex solius enim rationis principiis idoneus nexus de speciali indole medii reconciliationis formari nequit, vti mox fusius probabo. Quamuis adeo Dn. CARPOVIVS Specim. I. §. 16. emphatice admodum scripserit: *tribuo igitur rationi non sibi soli relictae, sed per reuelationis lucem splendidissimam excitatae, quod nexum meditationum de speciali indole medii reconciliationis - - perspexerim* etc. tamen haec verba contra mentem Viri docti ab imperitis eo trahi non debent, ac si lux splendidissima reuelationis communia rationis principia immutet, et ita euehat, vt specialis indoles medii reconciliationis ex illis solis deriuari possit. Lux quidem splendidissima reuelationis omnino facit, vt, dum ratio conclusiones ex Sacra Scriptura haurit, ea simul excitari possit ad NB. *comparandas* eas cum principiis sanae rationis communibus: facit eadem lux reuelationis, vt in multis admodum rebus ratio excitata rectiorem naturalium suorum principiorum vsum addiscat, catenamque illorum plenius perspiciat, quam non excitata. Acutius quoque ratio excitata generatim videt, ita, vt nouo prorsus acumine ex domesticis suis principiis demonstrare possit, quae ratio pariter non excitata quidem perspicit sed obscurius. Speciatim etiam plenior lux illa facit, vt ratio excitata patefactas quasdam doctrinas ex ipsis naturalibus principiis feliciter deriuare possit, etiamsi eas nemo vnus Philosophorum, a lumine reuelationis auersorum vmquam perspexerat, multo minus demonstrauerat. Petinet huc e. g. creatio mundi ex nihilo, quam nemini Philosophorum paganorum perspectam fuisse, contra eruditissimos viros solide probauit Ven. Abbas D. MOSHEMIVS in dissert. apud Cudworthum. Hanc ipsam autem creationem a recentioribus Philosophis Christianis ex principiis naturalibus

non

non infeliciter deriuatam fuisse constat. Vt alia patefactae lucis in theologiam naturalem merita hic praeteream. Nihilo tamen secius haec plenior per splendidissimam reuelationem lux rationis excitatae praetextui esse non debet, quasi specialis indoles medii reconciliationis cum Deo ex principiis rationis excitatae deriuari, et contra Scepticos *ex sola ratione* ita propugnari queat, vt, positis perfectionibus diuinis, nullum aliud medium, quam sola satisfactio per θεάνθρωπον, locum habere possit. vid. Theol reu. Carp. §. XXXV. Etiamsi enim ratio excitata plus videt, quam sibi soli relicta; tamen eam splendidissima reuelationis luce non ita immutari, vt ex principiis vere naturalibus specialis indoles medii reconciliationis hominum cum Deo deriuari queat, sequentia statim confirmabunt.

§. VI.

In nexu meditationum Carpouianarum principiis rationis excitatae nixo deinde mihi displicet hiatus, quo ille laborat.

Quodsi autem ratio excitata, consentiente ipso Domino CARPOVIO Spec. I. §. XVI. ex solius rationis principiis nexum de speciali indole medii reconciliationis composuit; miror profecto, hiatum illum, quo eiusmodi nexus aperte laborat, ab ipso Viro docto non fuisse obseruatum. Quanquam enim ratio excitata nexum arctissimum inter attributa Dei et patefactam medii specialem indolem clare et distincte perspicit: quanquam eadem etiam speciatim essentialem Dei iustitiam vindicem ex naturalibus principiis contra Scepticos et Socinianos stabilire, adeoque grauissimam aliquam rationem conclusionum SS. ad hoc medium nostrum pertinentium ex claris principiis sanae rationis deriuare: imo quoque patefactum summum iustitiae diuinae contra quaeuis peccata rigorem, totamque specialem indolem medii patefacti contra quasuis argutias et exceptiones aduersariorum sufficienter defendere potest; * tamen valde dubito, nexum inter essentialia Dei attributa

* Hinc est, quod nostrates Theologi, ratione excitata duce, ex principiis quibusdam communibus contra infideles non minus, quam inprimis contra Socinianos et Arminianos, clarissime efficacissimeque saepius pugnauerint pro necessitate satisfactionis Iesu Christi, et quidem accuratae et expletiuae, etiamsi iidem per nexum aliquem Carpouianum hoc facere nunquam ausi sunt. Ne-

 cessi-

tributa cum natura hominis, et ſpecialem indolem medii patefactam, ex genuinis rationis principiis ita ſtabiliri poſſe, vt omnis plane hiatus abſit, omnesque rationes concluſionum SS. huc pertinentium ex adaequatis ideis contra Scepticos repeti

ceſſitatem medii reconciliationis, non ſpecialem eiusdem indolem, Theologi ex principiis ſanae rationis Naturaliſtas recte docuerunt, vbi illos ad eſſentialem Dei, ſupremi Domini et iudicis iuſtitiam, et ad naturaliter accuſantes cogitationes hominum, attendere iuſſerunt, vt ſeſe vna cum paganis mortis reos eſſe ſentirent. Rom. I, 32. conf. 2. Theſſ. I, 6. Et nodus ſaltem hic eſt eiusmodi, quem ſcepticorum nemo ſoluturus eſt. Neceſſitatem praeterea ſatisfactionis accuratae et expletiuae, per Ieſum Chriſtum factae, NB. poſt efficaciſſima Scripturae S. de illa teſtimonia, ex ipſa quoque diuinae naturae perfectione, et quidem non ſolum ratione veracitatis propter comminationem, ſed iuſtitiae vindicatiuae Deo naturalis et eſſentialis fluentem contra Scholaſticos quosdam, Socinianos et Arminianos Theologi noſtrates toties adſtruxerunt, argutiasque Scholaſticorum, Socinique et Arminii aſſeclarum, ex principiis ipſius rationis feliciter repreſſerunt. Non tacuerunt ſane illi ad exceptiones aduerſariorum contra abſolutam ſatisfactionis I. C. neceſſitatem, *a ſupremo Dei dominio* aut ab *omnipotentia* Dei, aut aliunde repetitas, ſed easdem ex ipſius Theologiae naturalis principiis, contra quae Sociniani tam frequenter peccant, confutarunt. Quid enim firmius eſſe poterat, quam vbi Theologi obſeruarunt, ex. gr. ſupremum dominium Dei, etſi abſolutum ab externo quocunque imperio, tamen immune non eſſe ab interna perfectionis ſanctitatisque diuinae, eſſentiali et naturali quaſi regula: omnipotentiamque Dei talem fingendam non eſſe, quae ſumma foret impotentia. Cum enim Sociniani contendunt, Deo longe facilius id eſſe, quod vel hominibus datum eſt, nimirum, condonare ſine ſatisfactione; noſtrates contra obſeruarunt, partim quod hoc ſimpliciter falſum ſit, quia Deus ex. gr. mentiri nequit, ſicut homo: partim quod diſtingui vtique debeat inter nudum hominem atque Creatorem laeſum, inter remiſſionem priuatae perſonae et perſonae iudicis ſupremi. Diſparem enim hominis et Dei in puncto iuris conditionem ex principiis ſanae rationis ſic illuſtrarunt: etiamſi, inquientes, homo habet poteſtatem ac ius, *iuri ſuo renuntiandi*, quod habet in ſeruum ſuum, vt ipſum poſſit manu mittere; tamen Deus non poteſt renuntiare iuri dominii, quod in creaturas habat, vt creaturas ratione

peti possint. Cum enim plenae satis et adaequatae de attributis diuinis notiones, veraque magnitudo reatus originalis et actualium peccatorum, cui vniuersi homines subiecti sunt, non nisi ex principiis patefactis demonstrari possit; frustra ex sola ratione nexus meditationum expectabitur, quo nullum aliud medium reconciliationis, nisi per mortem vicariam θεανθρώπου, locum habere potuisse euincatur. Hiatum adeo in eiusmodi nexu inesse, persuadeor.

§. VII.

Hiatum in nexu meditationum Carpou. de speciali indole medii reconciliationis inesse, qualecunque nexus huius examen. decet.

Quem hiatum sane vel qualecunque nexus Carpouiani examen manifestat. In nexu enim meditationum, quae Theol.

ne praeditas manumittere possit. Nam si esset creatura, et Deus non esset ipsius Dominus; foret creatura aliqua, quae non dependeret a Deo (et in fieri, et in conseruari et in operari.) Id quod satis absurdum. Sic enim creatura esset independens ens: creatura non esset creatura: creatura sic esset libera a iure, quod tamen solius Dei est. Quemadmodum autem τὸ de iure suo cedere non posse, supremo Dei dominio non derogat; ita interna etiam naturalisque obligatio, mala commissa puniendi, sanctissimum Dei dominium amplificat. Vt taceam, quae de priuato a iudice in remissione offensarum necessario distinguendo SCHERZERVS aliique acute et solide contra Socinianos attulernnt. Haec omnia enim laudo, veneror: at nexum Carpouianum non laudo. Maior enim est idoneitas et efficacia rationis excitatae ad specialem indolem medii nostri patefacti contra tricas aduersariorum *defendendam*, quam ad eandem *stabiliendam* et *deriuandam* ex principiis mere naturalibus. Nam etsi argumenta huc facientia in se spectata eandem efficaciam vtrinque retinent; tamen relatiue spectata diuersam vtique vim habent. Sic ex. gr. thesis illa: laesa infinita maiestas infinitam poenam promeretur, aut satisfactionem infiniti valoris postulat; nodum quidem solui nescium animis Scepticorum infigit, et Socinianorum rabiem in peruertendis clarissimis Scripturae S. testimoniis in pudorem dat; sed vbi Dn. CARPOVIVS inter alia hoc argumento vsus est ad stabiliendam *in nexu* philosophico specialem indolem medii reconcil. efficacia huius argumenti (contra Scepticos saltem) imminuitur, quoniam ipse nexus ille per obiectionem, quam corrupta natura hominum, et essentialis Dei bonitas et sapientia hic sponte suggerit, diffluit.

reu. Carp. §. I--XXXV. legitur, §. II. sic habet: *Lex Dei postulat perfectam obedientiam, siquidem, cum Deus homini facultatem dederit, et connexiones rerum, perfectiones et imperfectiones perspiciendi, et seipsum pro lubitu determinandi, et in rerum existentias suis viribus influendi; sequitur, legem naturalem et diuinam non quodammodo solum, sed in omni perfectione adimplendam esse.* Etiamsi autem dubio caret, legem naturalem et diuinam generatim spectatam non quodammodo solum, sed in omni perfectione adimplendam esse; tamen ipsa argumenta, quibus hanc in rem Vir cel. vtitur, contra hominem auctoritate Scripturae S. nondum permotum, sufficienter non euincunt, *quod Deus ab hominibus*, quales nunc sunt, *perfectam obedientiam postulet*, l. c. §. III. Nimis enim magnifice et contra experientiam vniuersalem Vir doctus de intellectu et voluntate hominis, circa res ad religionem et rem moralem pertinentes versante, scribere videtur, vtpote qui non meliora tantum videns, deteriora sequitur, sed etiam ita nascitur, vt sensualibus magis, quam intellectualibus perceptionibus regatur, suam ipsius voluntatem diuinae naturaliter semper praeferat, scopumque creatoris atque ordinem ab ipso constitutum admodum tenuiter persequi et possit et velit. Quae autem cum ita sint, nescio profecto, an per sola principia, quae sana ratio non ignorat, et citra auctoritatem Scripturae S. de peccato naturae per caput generis humani naturale ac foederale in posteros deriuato, iusteque iisdem imputato testantis, citra hiatum sceptici conuinci queant, legem diuinam ab hominibus, vtpote sine potentia legem perfecte implendi nunc natis, et quorum ne sapientissimus quidem ab omni abstinere peccato potest, exactissimam postulare obedientiam. Posteros quidem Adami per peccatum capitis sui peccatores iuste constitui, et ab iisdem, etiamsi vires perfectissimam obedientiam praestandi amplius non habentibus, hanc nihilominus a Deo postulari, ita sacer codex patefecit, vt obiectiones Socinianorum facile solui queant, sanaque ratio merito acquiescat. Sed id ex principiis patefactis est, quibus ipse Dn. Dissentiens contra Scepticos non vtitur. Consentio coeterum Viro Docto, quod Deus pro summa sua bonitate et sapientia eiusmodi leges homini praescri-

praefcripſerit, quae ad perfectionem et felicitatem eius faciunt; ſed citra Script. S. non capio, quare natus ſim cum impotentia perfectam obedientiam tam venerabili legi praeſtandi, imo cum propenſione contra illam peccandi? Pergo ad aliud hiatus in nexu Carpou. obuii exemplum, quod l. c. §. IV. extat: *Quisquis legem naturae transgreditur, vel exactiſſimam ei non praeſtat obedientiam, transgreſſor eſt legis diuinae, ſummoque Dei in ſe dominio refragatur.* Et ratio quidem, quare omnes homines legis diuinae transgreſſores ſint, adiicitur ſchol. §. V. *Quisquis hanc veritatem in dubium vocat, ille vel rigorem legis diuinae et naturalis non agnoſcit, nihil illam praeter actus quosdam externos poſtulare, ſibi falſo perſuadens, vel ipſe ſibi adulatur, ad defectus, quibus laborat, maximos caligans.* Dubito vero, an homo auctoritatem Scripturae S. adhuc miſere reſpuens, haec omnia ſine reſtrictione quadam accepturus ſit. Poſtquam enim nemo hominum, et quidem ſine propria (quantum naturaliter conſtat) culpa ſua, legi diuinae et naturali interiorem perfectamque obedientiam praeſtare poteſt; hactenus ſane ſcepticus contra culpam transgreſſionis proprie dictae multa obiiciet, ad ſupremi Legislatoris ſapientiam atque bonitatem prouocaturus, vtpote qui vltra vires homini conceſſas nihil poſtulet. Ad ea porro, quae Vir doctus de rigore legis diuinae et naturalis diſſerit, obſeruo, quod homo citra auctoritatem legis diuinae ſcriptae, rigorem legis naturalis maiorem vix capiat, quam qualis in vires hominis naturales, quales nunc ſunt, cadere poteſt, quandoquidem vnus idemque auctor eſt et legis naturalis et naturae humanae. Legem quidem diuinam non ſolos actus externos reſpicere, Scepticus dabit; ſed culpam imperfectionis et impotentiae ſuae naturalis ad perfectam et interiorem obedientiam ſibi ipſi prius non adſcripturus eſt, quam ſeſe in Adamo peccaſſe, per auctoritatem verbi diuini edoctus fuerit. Equidem fateor, Scepticum, ſana ratione duce, intelligere poſſe, hominem primum e manu creatoris ſui talem prodire nequiuiſſe, quales nos omnes nunc ſumus; ſed, vtrum vel id propter culpam corruptionis ſuae ſibi ipſi tributurus ſit, etiam atque etiam dubito. Hiatus hic manifeſtus eſt. Praeterea quoque ex ſola ratione indubitata

non sunt, quae Vir doctus in nexu suo, et quidem Theol. reu. §. VI. VII. VIII. X. XIII. XIV. adstruxerat: „Quicquid legi ad„uersum est, dicitur peccatum. Cum igitur omnes homines, „naturaliter propagati, sint transgressores legis naturalis et di„uinae; omnes homines naturaliter propagati sunt peccato„res, et per omne peccatum homo summo Dei in se dominio „refragatur. Hinc Deus pro summa iustitia sua facere non „potest, quin omne peccatum puniat. (per principia theol. „natur.) Omnes igitur homines poenae diuinae sunt obno„xii. Omne peccatum a Deo poena infinita puniendum est: „quia ex conditione laesi grauitas delicti est aestimanda: et „quia per omne peccatum, quatenus legis diuinae transgres„sio est, Deus, ens infinitum laeditur, quatenus per illud hono„ri diuino aliquid detrahitur, et homo dominio diuino refra„gatur, et agit contra officium Deo perfecte debitum. Omnis „homo poenae duratiue infinitae est subiectus. Omnes ho„mines, quia sub reatu diuino sunt, ad satisfactionem passiuam „praestandam obligati sunt.„ Quae quidem pariter, quoniam ipso Dn. CARPOVIO teste spec. I. §. XVI. *ex sola ratione* desumuntur, non sine hiatu quodam esse existimo. Essentialis sane Dei iustitia vel naturaliter perspicitur Rom. I, 32. coll. 2. Thess. I, 6. Verum quod ratio excitata exinde, seposita Scripturae S. auctoritate, contra scepticos citra hiatum propugnare possit, vnumquodque hominum peccatum a Deo poena infinita puniendum esse, omnemque hinc hominem, quia sub reatu diuino est, ad satisfactionem passiuam praestandam obligari; argumenta a Dn. CARPOVIO allata mihi non persuadent; Ad peccata quippe poena infinita punienda Vir cel. Theol. reu. §. V. retulerat peccata ignorantiae et infirmitatis, praecipitantiaeque. Haec vero, cum ne a sapientissimo quidem mortalium prorsus euitari queant; pro veri nominis peccatis, et quae infinitam poenam post se trahant, a sceptico homine nunquam habebuntur. Praeterea cum Deus ab homine ad perfectissimam obedientiam naturaliter inepto ex solius rationis iudicio illam postulare non videatur; simpliciter non valet, quod Vir doctus adstruit, grauitatem delicti ex conditione laesi vnice aestimandam esse: nec philosophus sane nisi obscuram ma-

iestatis

ieſtatis infinitae diuinae laeſionem per principia mere naturalia inueniet, in iis ſaltem peccatis, quae immediate fluunt ex naturali hominum impotentia ad perfectum legi praeſtandum obſequium. Quod e contrario ad peccata malitiae et proaereſeos attinet, nullum eſt dubium, quin ex ſola ratione ſcepticus agnoſcere debeat, quod ipſi pagani ſenſerunt, Rom. 1, 32. nimirum ſeſe mortis reos eſſe, nec iniuriam ſibi fieri, ſi propter infinitam maieſtatem laeſam in perpetuum puniantur. At longe alia eſt quaeſtio: vtrum propterea ſcepticus teneatur Dn. CARPOVIO conſentire, poſitis perfectionibus diuinis naturaliter cognitis, nullum aliud reconciliationis cum Deo medium locum habere potuiſſe, niſi mortem vicariam θεαν θρώπε? Quanquam enim (quod Dn. CARPOVIVS vrget Theol. reu. §. XXXV.) *iuſtitia Deo aeque eſſentialis eſt, ac omnia eius attributa reliqua*; neſcio tamen, an ſcepticus inde vna cum Viro dicto l. c. concluſerit; *vnde cum illa poſtulet, vt peccatum a Deo quodlibet puniatur; ſine ſatisfactione peccata remittere, aeque a Deo fieri nequit, ac impoſſibile eſt, vt reliquis attributis ſuis eſſentialibus aduerſetur.* Supponitur quippe hic, quod ſcepticus non agnoſcet, ſcilicet ex eſſentiali Dei iuſtitia neceſſario fluere, vt NB. quodlibet peccatum a Deo puniatur. Quid enim, ſi ſcepticus nexui inter iuſtitiam Dei eſſentialem et peccata hominum punienda opponat nexum inter aeque eſſentialem Dei bonitatem atque naturam hominis congenita labe adſperſam, ex qua poſteriore non peccata tantum infirmitatis, ſed malitiae etiam aliquo modo fluunt? Contra grauiſſimam quidem ſatisfactionem neceſſariam ſcepticus ineptiſſime diſputauerit; ſed ſi ille contra tantum exercitii iuſtitiae eſſentialis diuinae rigorem, qualem Dn. CARPOVIVS ex ſola ratione deriuat, fultus bonitate Dei erga homines, etſi malitioſe peccantes, cum inclinatione tamen praua aperte natos, ſperet aliqualem poenae mitigationem; dubito, an Dn. CARPOVIVS ſcepticum deuincere poſſit? Annon enim ſcepticus vrgebit, exercitium iuſtitiae Dei eſſentialis eſſe morale atque rationale: non bruto impetu ruens, ſed ſecundum circumſtantias, finem modumque agendi a ſapientia et bonitate Dei ſc. harmonia attributorum diuinorum quaſi directum, atque pro mitigando iuſtitiae vindicis

dicis diuinae rigore huc, (intempestiue licet, ac alio sensu, quam Theologi hoc concedunt) prouocabit? Socinianus quidem homo de summo rigore iustitiae vltricis diuinae dubitans est impudentissimus, quoniam nulla arte detorquere potest tot clarissima S. Scripturae oracula de Deo iudice iustissimo, deque odio peccati in Deo infinito, aliisque argumentis, quae inuicte probant repugnantiam quandam naturalem et essentialem, qua Deo naturale est, delicta non impunita dimittere. Verum scepticus, alienam adhuc mentem a SS. stulte gerens, ideoque neque haec omnia, neque reatum siue originalis, siue ipsorum actualium peccatorum, (quae non nisi quadantenus ex lumine naturae cognoscuntur, docente IO. MVSAEO Introduct. in Theol. Diss. I. de distinctione theol. nat. et reu. p. 42.) rite perspiciens, ex ipsa potius praesentis orbis gubernatione, vbi poena non est perpetua peccati comes, aliisque speciem saltem habentibus argumentis, contra tantum iustitiae vindicatiuae diuinae rigorem, qualem Dn. CARPOVIVS ex principiis sanae rationis demonstrare voluit, et contra necessitatem rigidissimae, accuratae et expletiuae satisfactionis, multum disputabit. Postulationem quidem obsequii et executionem poenae ad Deum vi iuris supremi ex aequo pertinere, scepticus negare non audebit; sed exercitium officii legislatorii et iudicialis diuini vltra vires obsequendi naturaliter homini relictas et alias circumstantias extendi nolet. Quamobrem adeo existimo, inefficaciter in nexu meditationum Carpou. contra Scepticos adstrui, *quod omnis homo poenae duratiue infinitae subiectus sit, omnesque homines, quia sub reatu diuino sunt, ad satisfactionem passiuam praestandam obligati sint.* Scepticus enim propter ipsam essentialem Dei bonitatem atque ἀκριβοδίκαιον diuinum requiri exactissimam quandam satisfactionem negabit eo saltem nomine, quo homines naturaliter non gaudent viribus perfactam legi obedientiam praestandi, et naturaliter ad quaeuis facinora procliues sunt. Ex quibus omnibus patere existimo, principia theologiae naturalis, de quibus hactenus disputatum est, vtiliter adhiberi posse, partim contra Scepticos ad aculeos animis eorum infigendos, et ad illustrandum patefactum reconciliationis per I.C. medium,

partim

partim contra Socinianorum furores, et ad argutias eorum destruendas; sed nexum inde Carpouianum pro stabilienda speciali illius medii indole contra Scepticos confici non posse. Quantumuis enim, fateor, Scepticus Dn. CARPOVIO, ab essentiali Dei iustitia laesa ad poenam infinitam peccati ex malitia aut proaeresi perpetrati conclusionem ducenti, satisfacere non possit, cum is nodus sit solui nescius; tamen vicissim Dn. CARPOVIVS ex sola ratione idonee non respondebit Scepticо, propter aeque essentialem Dei bonitatem et congenitam hominis labem dubitanti, an rigor exercitii iustitiae diuinae contra peccatores necessario tantus esse debeat, vt, si Deus illorum misereri velit, nullum prorsus aliud reconciliationis medium, nisi mors θεανθρώπε vicaria, locum habere possit? Ad collisionem enim attributorum diuinorum, quam Dn. CARPOVIVS Theol. reu. §. XV. vrget, regeret forte doctrinae patefactae expers Scepticus, quod exercitium poenae diuinae, etsi a iustitia Dei essentiali oritur, libera tamen intercedente voluntate fiat, non bruto impetu ruat, sed a sapientia diuina quasi dirigatur. Contra Socinianos quidem, Scripturam S. agnoscentes, collisio attributorum diuinorum merito vrgetur; sed Sceptici non desinent alias fingere collisiones, scilicet inter sapientiam bonitatemque Dei et eiusdem iustitiam, cum Deus ab hominibus postulet, quae in viribus eorum non sunt, aut cum qualemcunque poenitentiam hominum, etsi cum labe natorum respuat, et expletiuam infinitam satisfactionem rigide requirat. Quae autem cum ita sint, hiatus in nexu meditationum Carpouianarum negari nequit. Qui ipse hiatus laborem Viri cel. irritum facit, quo Theol. reu. §. XV -- XXV. conditionem medii, quo Deus, salua iustitia, hominum misereri potuerit, ex sola ratione deriuare ausus est. *Aut ipsi*, inquit, *homini in persona propria subeunda fuit poena infinita propter transgressionem legis diuinae, aut alius pro ipso substituendus.* Postquam vero requisita eiusmodi Vicarii hominum recensuerat, haec ipsa in nullam creaturam, sed in solum Deum quadrare ostendit, ita, *vt ipse Deus Vicarius hominum fieri, si vellet eorum misereri l. c. §. XXIII. naturamque passibilem humanam assumere debuerit §. XXV.* Quae quidem omnia, etiamsi ad

illustrandum patefactum reconciliationis medium non temere adduci potuerant; tamen contra Scepticos vim plenam demonstrandi non habebunt. Praeter hiatum enim, quem iam tum innui, Scepticus contra ipsam Dei incarnationem ad reconciliandos sibi homines suscipiendam insurget. Difficultatibus quidem obuiam ire quibusdam voluit Vir cel. Theol. reu. §. XXV schol. 2. hunc in modum scribens: *Quamuis autem ad homines e reatu eripiendos opus fuerit, vt ipse Deus, humanitate indutus, ageret et pateretur pro illis, quod satis erat: tamen si (quod sola ratio non agnoscit, nec hinc determinare potest) pluralitas personarum, quarum cuilibet ipsa essentia diuina competat, in Deo detur, sufficit, vt vna tantum earum humanam naturam assumat, in eaque vicario praestanda praestet, quia illa vicario necessariis requisitis iam est instructa.* Sed maxima adhuc, me iudice, hic supereſt difficultas. Non enim disquiret Scepticus: quaenam Diuinitatis persona, vtrum vna, an plures personae naturam humanam assumere debeant? sed vtrum verus Deus, quem non nisi vnam personam esse cognoscit, pro peccatoribus hominibus humanam naturam induturus esse videatur? Ne in humanis quidem inauditum est, vt, integro quodam collegio contumelia affecto, vnus ex illo collegio surgat, mediatoremque ipse agat. Vnde Sociniani inepte vellicare solent, quod Christus sibi ipsi quoque satisfecerit. Id enim non magis mirum est, quam quod Deus esset in Christo, mundum sibi ipsi reconcilians, 2. Cor. V. At magis peregrinum videbitur Sceptico, cum Dn. CARPOVIVS nexum meditationum ex sola ratione, quae non nisi vnam Diuinitatis personam cognoscit, instruens, incarnationis vnius illius diuinae personae necessitatem praeter et contra Scripturam S. tantisper stabilitum iuit, quoniam non facile Scepticus concipiet, quare Deus, cum vnica persona sit, si transgressorum legis suae misereri vellet, necessario humanam naturam induere, et pro illis mori debuerit, multo minus Scepticus exinde praecipuum criterium diuinae Scripturarum originis vna cum CARPOVIO repetet. Neque ipse negare possum, eiusmodi medii reconciliationis indolem, vltra quam tamen nexus meditationum Carpouianarum sola ratione nixus progredi non potest, longissime

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853209317/phys_0030
DFG

gissime abesse a speciali indole illius in SS. patefacta,* ita, vt hic quoque hiatum quendam in nexu inesse putem.

§. VIII.

A consideratione nexus meditationum Carpouianarum debueram nunc transire ad considerandam tantam Viri celeb. in nexu suo fiduciam, qua Theol. reu. §. XXVI. et XXXV. adstruxit, quod, posita diuina homines sibi reconciliandi voluntate, positisque perfectionibus diuinis, aliud medium reconciliationis, quam satisfactio vicaria θεανθρώπε, locum habere non potuerit: imo aliter fieri nequiuerit, nisi vt ipse Deus, naturam humanam assumens, in eadem agendo patiendoque hominum vicarium ageret. Eandem fiduciam Vir cel. prodit, vbi Specim. I. §. XIV. XVI. nexum realem inter essentialia Dei attributa naturamque hominis, et patefactum reconciliationis medium, qualem ipse ex sola ratione demonstrauerat, sufficientem esse credit, vt alienam a S. Scriptura mentem adhuc gerens, modo ne pertinaciter resistat, *ex sola ratione* de illo conuinci possit. Interim, cum qualecunque nexus examen, quod praemisi, me etiam tacente, loquatur, quam exilis fiducia in illo poni iure meritoque possit; aliis malo iudicium super hac re committere, ne loquacitate mea iram Dn. Dissentientis contra me iterum excitem, qualem expertus sum Spec. I. §. XVII. vbi me conatum ipsius vocabulo *pruritus demonstrandi* maculasse scripsit. Dixeram quippe in *commentatione de vsu doctae simplicitatis contra Scepticos* c. III. quod Naturalista aut Sociniſta nexum Carp. pro pruritu demonstrandi habiturus sit. Respondet Vir doctus Spec. I. §. XVII. *Neque ego id miror, quia hoc hominum pessimorum genus, ipsis veritatibus de satisfactione θεανθρώπε vicaria impie negatis, quamlibet arripit calumniandi ansam. Miror autem, ecclesiae nostrae theologo, qui easdem veritates de satisfactione θεανθρώπε pro genere humano*

Quanta in tali meditationum nexu fiducia collocari possit, inquiritur.

* Optime LVCAS OSIANDER in Bibliis ad 2. Cor. V. Tota Trinitas habitauit et habitat in Christo: (tametsi secunda tantum diuinitatis persona sit incarnata) et Deus ille verus, qui in homine Christo, tanquam in sanctissimo templo habitauit, per Mediatoris illius passionem et mortem sibi mundum reconciliauit.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853209317/phys_0031
DFG

mano vicaria non ſolum ſecundum Scripturam S. mecum docet, ſed principiis rationis aptiſſime conuenire fatetur, inuiſum infeſtumque eſſe, quod, quomodo principiis rationis aptiſſime conueniant? a me demonſtratum ſit. Hinc ſaltem (ne videlicet defendendis iis deſim, quae l. c. ſcripſi, et etiamnum ſentio) non poſſum non pauca quaedam reponere, et oſtendere ſpecialiter, partim non ſolos Naturaliſtas et Socinianos, ſed cordatiſſimos etiam theologos, ſi veſtigia ſaltem maiorum recto itinere praecedentium ſequi velint. Viro cel. mecum obiecturos eſſe illum pruritum demonſtrandi, partim me, cum nunc denuo *id, quod nimium eſt in concordia rationis ac fidei*, nexui meditationum Viri docti tribuo, longe aliud quid reprehendere, quam quod demonſtrare voluerit, quomodo patefactum reconciliationis medium principiis rationis conueniat. Non ſolos primum Naturaliſtas et Socinianos, ſed praeſtantiores quoque Theologos noſtrates ſpecialem indolem medii reconciliationis noſtrae ex principiis ſanae rationis, et per nexum quidem, deriuatam, pro pruritu demonſtrandi facile habituros eſſe, ex modeſtia eorum merito colligo, qua hucusque in hoc negotio contra infideles vſi ſunt. Contra Socini quidem et Arminii aſſeclas Theologi poſt clariſſima Scripturae S. teſtimonia etiam ex ipſa ſana ratione abſolutam neceſſitatem ſatisfactionis expletiuae et exactiſſimae propugnant; ſed vbi ex ſola ratione de hac re diſſerunt, paulo aliter loqui ſolent. Audiamus IO. MVSAEVM in introduct. in theol. c. I. de diſtinctione inter theol. natur. et reuel. p. 41. *Theologia*, inquit, *naturalis non ad cauſas vel perditae, vel reparatae ſalutis cognoſcendas pertingit:* et p. 43. *ſed mediator Chriſtus eiusque ſatisfactio pro peccatis, ipſius paſſione et morte peracta, adeo ſub lumen naturae non cadit, vt vbi per praedicationem reuelatur, rationis* (excitatae profecto, ſed Spiritui S. repugnantis) *iudicio pro ſtultitia habeatur. 1. Cor. I, 18. 23.* Adiicio ABR. CALOVIVM, Opp. Anti-Socin. T. I, §. III. p. 224. ſq. **Ob wir**, inquit, **aber wol nicht eben Urſach haben zu diſputiren, was Gott habe können oder nicht können hierinn thun**, ſondern uns daran vergnügen ſollen, was GOtt gethan habe, nicht zweifelnde, daß ſolches ſeiner Gerechtigkeit ſowol, als ſeiner Gnade gemäs

mäs sey; so können wir doch nicht in solcher Meinung, als Gegentheil haben will, nachgeben, daß uns die Sünde ohne einige Gnugthuung habe können vergeben, vielweniger daß GOtt schuldig gewesen, uns blos und schlechterdings die Sünde zu vergeben, oder daß er nicht anders thun können, denn uns die Sünde schencken. Denn es kan 1) Socinus solche Meinung mit keiner Schrifftstelle beweisen: hat bloße Schlußreden ausser GOttes Wort. 2) So ist es Göttl. Gerechtigkeit nicht gemäs, daß GOtt ohne einigen Abtrag Sünde vergebe, sondern es fodert die Gerechtigkeit GOttes, daß Sünde gestrafft werde. conf. T. II. p. 51. Solches haben auch Heiden aus dem Licht der Natur erkannt, daß es GOttes Gerechtigkeit erfodere, daß, die böses thun, des Todes würdig sind. Rom. I, 32. Quae verba sententiam CALOVII de discrimine pugnae contra Socinum aut ex sola ratione, aut ex Scriptura S. per rationem illustrata, aperte indicant. Taceo D. IOACH. LANGIVM, qui in *Causa Dei aduersus Naturalismum* P. II. Sect. II. membr. 2. c. I. artic. 3. p. 590. ff. iustitiam Dei vindicem ex natura peccati, sanctissima natura Dei coniuncta cum iure Dei supremo in genus humanum, ex proprietate legis diuinae, iureque Dei summo, et officio eius, tanquam summi iudicis, non nisi per principia reuelationis, principiis naturalibus illustrata, contra Naturalistas, Iudaeos et Sociniſtas confirmauit. Conatum quidem suum in nexu meditationum Dn. CARPOVIVS nouum esse ipse cum fiducia concedit Theol. reu. §. 35. schol. sed, dum nexus ille nouus hiatu suo, quem ostendi, liberabitur, existimem, plerosque theologos modestiam MVSAEI et reliquorum, prae audacia noua Carpouiana hodienum secuturos, et idem mecum, si non locuturos, saltem tamen sensuros esse. Deinde obseruo, quod in commentatione non minus mea, quam in hac ipsa contra vtrumque Specimen Carpouianum apologia, non aduersus concordiam rationis et fidei, (vtpote quam circa necessitatem satisfactionis I. C. tot theologi ante Dn. CARPOVIVM insigniter indicarunt) sed aduersus id, quod nimium esse puto in illa concordia, vnice disputauerim. Qua de re praeter oculorum fidem, quam speciatim commentatio mea faciet, ipsa Viri Cel. verba, quae Specim. I. §. XVII. leguntur, vnumquemque sufficienter conuincent: *Ne-*

que enim, inquit ille, *contra Scepticum, nec contra Socini asseclam, conuenientiam illam simpliciter asserere, sufficit, sed nexus realis, qui inter attributa Dei essentialia vna cum hominis natura, et hoc, quod docemus, reconciliationis cum Deo medium intercedit, ante oculos ponendus est, quod ego feci luculentissime.*

CAPVT II.

Examen responsionum Carpouianarum ad quasdam meas in Commentatione de vsu doctae simplicitatis speciales obiectiones contra specialem indolem medii reconciliationis ex principiis rationis deriuatam.

§. I.

Responsio Carpouiana ad obiectiones meas generatim recensetur.

Cum hactenus circa examen speciminis prioris Carpouiani, quoad illud vindicias specialis indolis medii reconciliationis hominum ex principiis rationis deriuandae complectitur, versatus sim; nunc ad specimen posterius me conuerto, in quo Vir cel. ad speciales quasdam obiectiones contra modo dictam demonstrationem a me in commentatione de vsu doctae simplicitatis c. III. factas respondit. Sunt autem obiectiones meae ex ipsa recensione Carpouiana Specim. II. §. IV. sequentes: *Si indoles specialis medii reconciliationis cum Deo, puta satisfactio θεανθρώπε vicaria, fide apprehendenda, ex principiis rationis deriuari posset; 1) finitus intellectus noster in abstrusissimam consiliorum circa redemtionem humanam abyssum immergeretur: 2) modus tractandi mysteria introduceretur, qui res, ab intellectu nostro remotas, et humanae sapientiae modum excedentes, lumini naturae subiiceret, et rimaretur, siquidem necessitatem medii reconciliandorum Diabolorum per θεάγγελον eodem meditationum nexu ex principiis rationis demonstrare liceret: 3) falso Paulus, ad Es. LXIV. prouocans, euangelium nullo humano acumine, nullaque philosophia cognosci, sed ex immediata Dei patefactione fluxisse, adseruisset 1. Cor. II. quo tamen Apostolo teste, Christi in nos amor est ὑπερβάλλων τῆς γνώσεως Eph. III, 19. conf. 1. Pet. I, 12.* Responsio autem Carpouiana sic sonat: *Sed falsa sunt consequentis membra; vt ex parte iam dictum est;*

E. et-

* * *

E. etiam antecedens. Nullo horum aduersus me conficitur, quod conficiendum erat.

§. II.

Sicut autem Vir cel. tria obiectionum mearum membra ipse constituere voluit; ita, vt falsitatem primae obiectionis meae persuaderet, Specim. II. §. IV. affirmauit, sese ad methodum a me ipso adhibitam probaturum esse, quod ne quidem vel ex reuelatione ipsa genuinum reconciliationis cum Deo medium cognosci possit. Quare sic argumentatus est: *Si homo ex reuelatione indolem specialem medii reconciliationis cum Deo disceret, finitus intellectus eius in abstrusissimam consiliorum circa redemtionem humanam abyssum immergeretur. Sed non potest, vt finitus, in illam immergi. E. nec ex reuelatione homo indolem specialem medii reconciliationis cum Deo discere potest.* Quam quidem Dn. Dissentientis rationem argumentandi non fluxisse ex antea ab ipso commendata subtilitate, quae res diuersas discernere debet, totus persuadeor. Cum enim homo specialem indolem medii reconciliationis cum Deo ex reuelatione ita discat, vt illam rationesque illius non nisi *per euidentiam testimonii* cognoscat; id propter sane finitus intellectus in abstrusissimam consiliorum circa redemtionem humanam abyssum non immergitur, sed sapit, vti par est sapere. Verum vbi Vir cel. patefactam specialem indolem medii reconciliationis cum Deo rationesque eiusdem in principiis sanae rationis hoc consilio quaerit, vt Scepticos de diuina illius medii veritate per integrum nexum meditationum humanarum conuincat; a testimonii diuini auctoritate tantisper ad vim acuminis humani se conuertit. Cum vero ex cap. I. §. VII. iam tum pateat, lubricam admodum viam a Viro cel. electam esse, et rationem vel excitatam ad hoc negotium parum sufficisse; certe non vanus fuit metus meus, ne finitus intellectus hoc pacto abyssum peteret.

Examen responsionis Carpou. ad primum obiectionis meae membrum.

§. III.

Deinde vt Vir cel. falsitatem secundae obiectionis meae aliis persuadeat, Spec. II. §. V. negat, sese nexu meditationum suarum introduxisse eiusmodi modum tractandi mysteria, quae res ab intellectu humano remotas, et humanam sapientiam excedendo-

Examen responsionis Carpouianae ad secundam obiectionem meam.

cedentes lumini naturae subiiceret; quandoquidem indoles medii, post datam reuelationem diuinam, et post perspectam illius medii cum attributis Dei et natura hominis connexionem, non amplius sit res ab intellectu nostro remota. Quanquam autem Viro docto consentio, indolem huius medii post reuelationem diuinam, si *euidentiam testimonii* spectes, ab intellectu nostro hactenus remotam amplius non esse; nego tamen ac pernego, connexionem eiusdem medii cum attributis Dei et natura hominis ex principiis sanae rationis citra multiplicem hiatum ostendi posse. Argumenta mea c. I. §. VII. hanc in rem allata dum valebunt; inhaereo sententiae meae, specialem indolem medii reconciliationis, si ab euidentia testimonii diuini discesseris, rem ab intellectu nostro remotam esse. Mitto igitur ea, quae Vir cel. l. c. de nexu necessario veritatum reuelatarum cum veritatibus rationis repetit, cum de illo nexu c. I. iam tum viderim. Obiter etiam tango, quae Vir cel. Specim. II. §. V. contra redemtionem diabolorum per θεάνγελον, quam ego secundum modum demonstrandi Carpouianum aeque facile ac redemtionem hominum per θεάνθρωπον probari posse dixeram, in medium attulit, vbi: *nihil*, inquit, *ad rem facit. Abyssum abstrusissimam inuenio. Iure illa mihi opponi non potuit, quia ipse solutionem promisi Theol. reuel. §. XXV. schol. 2. et dedi l. c. §. 1249. sch.* Respondeo paucis: Quidni ad rem faciat? in redemtione hominum per θεάνθρωπον vel post patefactionem eius ipse Apostolus abyssum abstrusissimam inuenit Eph. III, 19. Solutio vero illa Viri doctissimi tota redit ad disparem conditionem, sub qua diaboli atque homines peccato obnoxii facti sunt, siquidem princeps diabolorum instinctu proprio, omnes vero per actum physice proprium sint lapsi. Hinc quippe rationem, cur Deus humano generi Saluatorem dare, diabolis vero denegare, misericordiae iustitiaeque suae conueniens esse duxerit, facile perspici posse, Vir doctus opinatur. At enimuero, etsi hanc coniecturam, quae dudum aliis, speciatim SVPERVILLIO placuit, non prorsus spernam; tamen illam, cum sit mera coniectura, Scripturae S. auctoritate destituta, nec ad controuersiam nostram dirimendam, nec ad abyssum abstrusissimam huius negotii, quam ipse Vir doctus

conces-

conceſſit, praeternauigandam ſufficere arbitror, cum hic adhuc ſuperſint aliae difficultates.

§. IV.

Examen reſponſionis Carpouianae ad tertiam meam obiectionem.

Ad tertiam obiectionem meam Vir cel. Specim. II. §. VI. generatim ſic reſpondet: *Denique nec vllum locorum SS. excitatorum aduerſus me pugnare, exinde colliges, quod rationi excitatae tantum, quae hauſtam ex reuelatione cognitionem ſupponit, Theol. reu. §. 428. non ſibi relictae, perſpicientiam indolis ſpecialis, quae medio reconciliationis cum Deo ineſt, tribuerim (ſpecim. I. §. XVI.)* ſpeciatim vero contra locum 1. Cor. II. quem ego ipſi in Commentat. p. 82. ſ. oppoſueram, ſic loquitur: *Ne dicam, quod de Chriſto ſpeciatim redemtore, filio Dei humanitate veſtito loquatur Apoſtolus 1. Cor. 2. 8. ſſ. quem, dum myſterium SS. Trinitatis rationis humanae limites excedit Theol. reu. dogm. §. 871. ex ſola reuelatione agnoſcendum diſcendumque eſſe, lubens concedo.* Vt igitur vis vtriusque huius reſponſionis, quoad ea ad prioris ad Corinthios epiſtolae caput ſecundum attinet, pateſcat; inquiram primum, vtrum hic locus contra Dn. CARPOVIVM non pugnare, videri poſſit, quoniam ille perſpicientiam indolis ſpecialis med. reconc. rationi excitatae tantum, non ſibi relictae tribuerat? deinde, quid de reſtrictione huius loci ad Chriſtum ſpeciatim redemtorem habendum ſit? Ad priorem quaeſtionem quod attinet, ſcopus et integer contextus 1. Cor. capitis primi et ſecundi docet, Apoſtolum contra Dn. CARPOVIVM vere pugnare. Corinthiis quippe propter doctorum ſuorum dotes diſcordibus Paulus c. I. et II. in memoriam reuocat, quomodo ipſe olim iis euangelium Ieſu Chriſti annuntiauerit, ſc. ἐ καθ' ὑπεροχὴν λόγε ἢ σοφίας, non per pompam eloquentiae aut demonſtrationis philoſophicae, ſed ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, ſimul oſtendens, quod ipſa ſapientia i. e. demonſtratio ex naturalibus principiis intempeſtiue quaeſita penes eos, qui ſapientiae laude prae aliis florebant, effecerit, vt praeconium euangelicum illa deſtitutum ipſis nauſeae fuerit. Nihilo tamen ſeciùs Apoſtolus praerogatiuam euangelii prae ſapientia mundi, efficaciamque methodi ſuae ſaltem penes ita non ſuperſtitioſos commonſtrat, adiiciens, conuenientiſſimum fuiſſe infinitae Dei ſapientiae, vt in

ruborem daret ſapientes mundi, perducendo homines ad ſalutem longe alia via, quam quae ſciolis placebat. Contra hos ipſos itaque Apoſtolus initio c. II. rotunde pronuntiat, ſe deſiderio illorum nequaquam ſatisfacturum eſſe. Sicut enim inde a primo aduentus ſui tempore apud Corinthios nihil aliud quaeſiuerat, niſi vt Chriſtum cruci affixum illis ſine pompa ac phaleris praedicaret v. 1. 2. ne perſuaſio eorum ſapientia hominum, ſed potius efficacia Dei niteretur v. 4. 5; ita Apoſtolus grauiſſimas cauſas exponit v. 6. ſſ. quare ſola ſpiritus demonſtratione, relicta probatione, quem ex naturalibus aut aſcititiis principiis graeci expectabant, non poſſit non vti, nimirum quia res ipſae, quas praedicabat, eiusmodi naturae erant, vt citra patefactionem diuinam nec ſciri, adeoque nec demonſtrari iis, quibus immediate patefactae non erant, alia via poſſent, quam per ſufficiens teſtimonium, quod a Deo Apoſtolis patefactae eſſent. Interim, vt Paulus oſtenderet, ex inopia demonſtrationis philoſophicae in praeconio euangelii a graecis quaeſitae nihil quicquam detrahi euangelio; dignitatem eiusdem illuſtrat v. 6. quod vna cum ſociis ſuis σοφίαν ἐν τελείοις loquatur, ſubtilitatibus et praeiudicatis ſeculi opinionibus longe firmiorem: σοφίαν Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ v. 7. i. e. conſilia Dei de ſalute humana per Ieſum Chriſtum, quae ante euentum ſub inuolucris typicis et propheticis latuerant, et ab vltimi temporis iudaeis ignorabantur, tum temporis vero cum Apoſtolis per Spiritum S. communicabantur clariſſime, ideoque occulta non manebant, quia ſpiritus omnia ſecreta Dei conſilia ſcrutatur, ita, vt Apoſtoli in patefactione ab illo ſibi facta tuto acquieſcere poſſent v. 10. per Spiritum S. videlicet vere ac ſufficienter edocti, quod ad ſecreta Dei conſilia attinebat v. 12. Cum enim multi Corinthiorum ſecure ac perlicenter auderent ad ſophiſticas ſubtilitates aut ad argutas iudaeorum fabulas doctrinam de Chriſto conuertere, et vt res firmior valentiorque euaderet, ad Apollinem alii, qui nempe a partibus graecorum ſtabant, alii, qui iudaeis fauebant, ad Cepham, imo ad Paulum quoque et Chriſtum ipſum prouocarent v. 12. c. I; nihil putidius videbatur Apoſtolo, quam apodixin euangelii, quod ſcandalum iudaeis, et graecis ſtultitia erat, ex rationibus graecorum

corum adstruere, aut ex iudaeorum opinionibus, vanis illis ac terrenis corroborare, et hac ratione Christum ac reliquos pari loco habere velle: e contrario autem ipsam naturam demonstrationis euangelicae suae data opera Corinthiis explicabat, vt nihil in ea desiderari posse, omnibus pateret. Huc enim facit v. 13. Ἃ καὶ λαλοῦμεν οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου. In hisce qualis vis ad aliis demonstrandam euangelii diuinam originem insit, statim sequentia verba significant: πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες, * spiritualia cum spiritualibus comparantes. Probabant quippe aliisque exponebant Apostoli veritates per Spiritus S. suggestionem secum communicatas non per argumenta philosophica aut iudaica, sed per eiusmodi argumenta, quae apta erant, vt per ea probari et applicari illae possent, nimirum per consensum Mosis atque Prophetarum Eph. II, 20. Qualis quidem demonstrandi ratio a notioribus et pro diuinis dudum agnitis rebus ad ignotiores hominem rite deducebat, et tota praeterea ita comparata erat, vt per effectus suos supernaturales de origine sua diuina clarissime testaretur. Fusius haec persecutus sum, vt lectores redderem certiores, Dn. CARPOVIVM frustra scripsisse, locum nostrum Paulinum non contra se pugnare, quandoquidem non de ratione sibi relicta, sed excitata sibi sermo fuerit. Etenim sole nunc meridiano clarius esse arbitror, partim quod Paulus contra rationem excitatam eiusque in demonstrando euangelio vsum loquatur, quoniam ad Corinthios loquitur iam tum christianos, qui euangelium more dialectico inter se tractari volebant, adeoque σύγκρισιν euangelii cum principiis rationis non nisi excitatae postulare poterant; partim quod ex mente Pauli prorsus non necessarium sit, vt demonstrationi euangelicae intempestiue coniungatur

 demon-

* Quod vox συγκρίνειν significet explicare et perspicue demonstrare apud LXX; apparet ex Gen. XL, 8. Num. XV, 4. Συγκρίνειν adeo h. l. idem est, quod συμβιβάζειν scilicet τὰ μαρτύρια V. T. et conferre SS. loca Act. XVI, 10. vt demonstretur, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστός. Huiusmodi σύγκρισις ab Apostolo opponitur et anteponitur demonstrationi ex principiis naturalibus, quam quaerebant graeci 1. Cor. I, 22. coll. 2. Cor. X, 5.

demonstratio ex principiis rationis excitatae. Quemadmodum igitur omni dubio caret, locum Paulinum contrariari methodo demonstrandi Carpouianae; ita ὡς ἐν παρόδῳ etiam obseruo, quod vana foret opinio, siquis existimare vellet, ab Apostoli tempore eiusque pro ratione temporis pronuntiata sententia saltem ad praesentem aetatem nostram concludi non posse, sed potius nobis ad principia rationis contra sciolos et empaectas nostri aeui confugiendum esse, quoniam nos non sicut Apostoli sub immediata Spiritus S. suggestione constituti sumus nec euangelium miraculis apostolicis confirmare possumus. Verum enim vero, etiamsi vsum principiorum rationis propaedeuticum et doctrinas patefactas tempestive illustrantem nequaquam contemno (quem nec Paulus in Actis et Epistolis fastidiuit;) tamen circa demonstrationem euangelii ex principiis naturalibus non plus hodie licere, quam tempore primo N. T; ipse Apostolus, ni fallor, docet l. c. v. 14. ff. vbi partim obstacula sapientiae humanae contra fidem euangelio habendam recenset, partim declarat, quod hi, qui euangelio Apostolis patefacto vnice nitantur, per hanc ipsam ἀπόδειξιν apostolicam (nulla saltem h. l. miraculorum mentione facta) contra quosuis euangelii hostes immoti persistere queant. Ψυχικὸς, inquit, δὲ ἄνθρωπος, is, qui nihil admittere vult, nisi quod ex naturalibus principiis demonstratur, sapientiamque hucusque ψυχικὴν Iac. III, 15. quaerit, ὁ δέχεται τὰ τῦ πνεύματος, non recipit ea, quae a Spiritu S. mihi et reliquis Apostolis immediate patefacta, et vera potentia ad salutem 1. Cor. I, 24. sunt, sed nimio sapientiae humanae amore abreptus haec mysteria reiicit, quae ipsi μωρία videntur, quia acumine dialectico carent: nec potest quidem, dum ita dispositus manet, ad ea attendere, ea cognoscere, aut iis assentiri, ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται, quoniam spiritualiter diiudicari debent, i. e. cognoscenda et diiudicanda vnice sunt per illam euidentiam, quam Spiritus S. per Prophetas et Apostolos suppeditauit, sc. ἀπόδειξιν πνέυματος καὶ δυνάμεως, contra quam tamen arrogantia sapientiae humanae aut ex negligentia, aut ex praeiudicatis opinionibus, aut ex pertinacia oculos occludit. Ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει μὲν πάντα, is, qui reuelatione Spiritus S. Apostolis facta

facta nititur, et (ad exemplum Beroensium) doctrinam Apostolicam cum V. T. comparat, post originem diuinam euangelii euidenter perspectam iudicat omnia, sc. mysteria euangelii, de quibus sermo est, aptusque est ad probandum, quod ea sint vera, quia probare potest, quod diuinitus reuelata sint. Αὐτὸς δὲ ὑπ' ἐδενὸς ἀνακρίνεται etc. nemo potest confutare eum, cuius conuictio super euidentia Spiritus S. fundatur. Τὶς γὰρ ἔγνω νῦν Κυρίε; Quis enim sibi arrogare potest, quod mentem Domini rectius cognoscat, quam ipse Dominus? Id autem faceret, siquis contradicere vellet ei, quod est probatum per demonstrationem spiritus et virtutis. Ἡμεῖς δὲ νῦν Χριςῦ ἔχομεν, fundamentum adeo cognitionis nostrae est, quod instructi simus ab ipso Christo et ipsius spiritu. * Ex quibus omnibus

E 3 contra

* Bina hic obseruo: primum est, quod haec loci Paulini paraphrasis videri posset noua, quia nonnihil differt a communi. Interim noua non est, quia ipsam Pauli mentem sine dubio refert. Quin haec interpretatio in multis quoque, cum Theologorum nostratium explicatione conuenit. Etenim cum ipse cum Theologis 1. Cor. II, speciatim v. 14. supponam praecedaneam praedicationem mysteriorum diuinorum, et quod mysteria haec etiam post praeconium eorum ab Apostolis factum, gentilibus fuerint stultitia, iudaeisque scandalum; necessario etiam illis consentire debeo, mentem Pauli esse, quod mysteria vel tam euidenter proposita, quam Paulus ea proposuerat, non capi intellectu neque ratihaberi a voluntate sine Spiritus S. operatione, quae attentionem ad verbum praedicatum et ἀνάκρισιν 1. Cor. II, 14. vna cum αἰσθήσει in omnibus morose non obnitentibus efficiat. conf. HVLSEMANNVS in Vindiciis SS. p. 40. Imo dum haec scribo, b. I. C. WOLFFII Curas philologicas et criticas feliciter euoluo, in iisque b. IO. FRID. WINCKLERI, Theologi Hamburgensis literas ad WOLFFIVM datas inuenio, quae sententiam Viri super 1. Cor. II. referunt, interpretationi meae in capite saltem causae adcurate respondentem. Sententiae enim Wincklerianae summa haec est, per ψυχικὲς inprimis v. 14. non irregenitos quosuis, sed doctores iudaeos et gentiles, iisque similes: per πνευματικὲς autem non sanctos quosuis, sed Apostolos, tanquam singularibus Spiritus S. donis extra ordinem instructos, indicari: adeoque haec verba ad alios male applicari. Hanc Wincklerianam sententiam b. WOLFFIVS approbat et confirmat. Imo

b. WINCK-

contra Dn. CARPOVIVM et ei consentientes sequitur, vt cum ὁ πνευματικὸς ὑπ' ἐδενὸς ἀνακρίνεται, non opus sit principiis rationis excitatae ad demonstranda scepticis mysteria. Hactenus illa, quibus declaraui, locum nostrum Paulinum contra Dn. CARPOVIVM pugnare. De speciali autem obseruatione Carpouiana super 1. Cor. II, 28. ss. quasi de Christo speciatim redemtore, filio Dei humanitate vestito ibi sermo sit, et quem, dum mysterium SS. Trinitatis rationis humanae limites excedat, ex sola reuelatione cognoscere debeamus; liceat mihi adnotare, quod ego in commentatione mea de vsu doctae simplicitatis non 1. Cor. II. v. 2. et 8. sed integrum caput excitauerim, speciatimque v. 9. coll. Es. LXIV. vbi de toto, ni fallor, euangelio dicitur, quod oculus non viderit, auris non audiuerit, nec in cor hominis descenderit. Cumque praeterea Apostolus per integrum caput neget, sese propter immediate sibi factam patefactionem euangelii velle aut posse illud aliter demonstrare,

b. WINCKLERVS eandem sententiam suam in FEVRBORNII fasciculis dissertationum iam tum legi posse, imo penes ipsum HIERONYMVM, teste FEVRBORNIO, inueniri docet. Quibus addo, quod CLAGETTVS, Theologus olim in Anglia celeberrimus contra OWENVM Caput II. prioris epistolae ad Corinthios dudum ad eundem modum explicauerit. De WINCKLERO autem inprimis laetor, quia is ea ex paralelismo SS. in medium attulit loca, quae paraphrasi a me datae praesidio esse possunt. Alterum autem, quod obseruare hic volebam, est, quod non otiose, sed propter praesentem aetatis nostrae tempestatem tam fuse ad 1. Cor. II. hic commentari voluerim, prudentissimi consilii memor, quod Vener. Tubingensium Theologus, D. WEISMANNVS in Diss. de studio sapientiae, quod non est secundum Christum, sollicite fugiendo p. 40. dederat: *Maxime*, inquiens, *huc pertinet Apostoli doctrina, quae tribus prioribus primae epistolae ad Corinthios capitibus diuina cum sapientia et emphasi proposita legitur, et summa in hoc negotio momenta continet. Haec qui recte intelligit, qui sollicite et religiose obseruat, ac vere possidet, pluribus in hanc rem praeceptis non indiget.* Neque etiam vnquam me pudebit simplicitatis, i. e. impermixtae doctrinae christianae, et displicere malo hominibus, quam Christo.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853209317/phys_0042
DFG

ſtrare, quam demonſtratione Spiritus et virtutis; non video, quid proficiat Vir doctus, vbi rimam elabendi aliquam per v. 2. 8. quaeſiuit. Diſſenſus enim inter Apoſtolum et D. CARPOVIVM nihilominus manet, cum ille nudum et impermixtum euangelium: hic vero euangelium ex principiis rationis excitatae deriuatum iis, quibus adhuc μωρία videtur euangelium, opponi voluit. Ab examine autem loci Paulini 1. Cor. II. quem Vir cel. contra ſe pugnare negauerat, tranſeo ad examen loci Eph. III, 19. quem pariter ſibi non contrariari, contra commentationem meam ſaepe excitatam tuetur, hanc rationem adiiciens ſpec. II. §. VI. quod ἡ ἀγάπη τῦ Χριϛῦ ὑπερβάλλουσα τῆς γνώσεως Eph. III, 19. infinitam amoris Chriſti in nos magnitudinem deſignet, quae vero nexum attributorum Dei eſſentialium naturaeque hominis cum indole ſpeciali medii reconciliationis cum Deo non tollat. Contra quam Viri cel. reſponſionem obſeruo, infinitum quidem Chriſti amorem non tollere nexum attributorum Dei cum medio reconciliationis hominum, ſed hac de re non quaeri, cum ſtatus controuerſiae inter nos agitatae hic ſit: vtrum *neceſſarius* quidam nexus inter attributa eſſentialia Dei vna cum natura hominis atque medium reconciliationis hominum cum Deo patefactum ex principiis rationis excitatae citra hiatum contra ſcepticos deriuari poſſit? Quod quidem ſi fieri potuerat, dubito, an Apoſtolus amorem Chriſti in peccatores ὑπερβάλλοντα τῆς γνώσεως emphatice appellare poſſet? Libenter quidem fateor, myſteria SS. vnius ordinis non eſſe, ſiquidem res quaedem patefactae ſunt ſupra rationem, vt, niſi patefactae eſſent, ratio illas ignoraret, nec excogitare eas poſſemus, etiamſi poſt patefactionem factam rationes earum ex principiis rationis excitatae deriuari poſſunt. Verum amorem filii Dei, quo ille caro factus, et pro nobis mortuus eſt, ita ſupra rationem eſſe, vt et extra obiectum eius, myſteriumque ſit, vel poſt reuelationem ex principiis naturalibus citra hiatum non deriuandum; ex iis, quae c. I. §. VII. diſputaui, patere arbitror. Denique ſupereſt examen loci a me in Commentatione de vſu doctae ſimplicitatis c. III. allegati ex 1. Pet. I, 12. quem Dn. CARPOVIVS pariter contra ſe pugnare negat, quod ex ἐπιθυμία angelorum, παρακύψαι in redemtionis humanae negotium conclu-

ſio

cluſio probanda non ſequatur, quia in hoc ipſum potius, opinante Dno. diſſentiente, deſiderium angelorum ferri poterat, vt, quomodo redemtionis negotium cum attributis Dei eſſentialibus cohaereat? perſpicerent. Verum enim vero Petrus loquitur de deſiderio angelorum, quod in ἀποκάλυψιν, non in examen euangelii ferebatur. De voluntate quidem diuina reconciliandi ſibi homines peccatores angelis conſtabat, quia deſiderabant παρακύψαι, ſed patefactionem medii, cuius ſpecialem indolem ſine dubio ignorabant, adhuc quaerebant.

§. V.

Examen reſponſionis Carpouianæ ad plura quaedam mea contra illum argumenta.

Scripſeram praeterea in Comment. de vſu doctae ſimplicitatis contra ſcepticos p. 88. *Quodſi NB. diuina auctoritas euangelii de Chriſto cruci affixo ex principiis rationis et nexu meditationum humanarum demonſtrari potuerat; Seruator ſine dubio non miſiſſet homines idiotas et rudes ad euangelium praedicandum temporibus illis eruditis, ſed ipſos Philoſophos: nec Deus, qui citra ſummam neceſſitatem naturae ordinem non migrat, tot miraculis ad confirmandum euangelium vſus fuiſſet: nec Deus per totum V. T. ad auertendum in humili Meſſia futuro ſcandalum, innumeris oraculis conditionem Meſſiae vtramque, humilem et deinde illuſtriſſimam immediate coniunxiſſet.* Ad quae argumenta Vir cel. Spec. II. §. VII. VIII. ſic reſpondet: *ſed falſa ſunt omnia conſequentis membra. E. etiam antecedens.* Vt autem primum conſequentis membrum falſitatis argueret, ſic pergit: *Chriſtus non per Philoſophos, ſed homines maximam partem rudes euangelium praedicari voluit, vt maximae auditorum parti, quibus partim pro mentis ſimplicitate* (ignorantia ſtupida vocatur ſimplicitas) *1. Cor. I, 26. ſq. partim propter alia impedimenta, longas demonſtrationum ſeries perſpicere datum non erat, conſuleretur.* Haec autem ratio a Dn. CARPOVIO allata non eſt Apoſtolica, quam ille ex hoc ipſo, quem citauit, loco diſcere debuerat, et quae ſic habet: ἵνα τὲς σοφὲς καταιχύνη -- ὅπως μὴ καυχήσηται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτῦ. conf. l. c. v. 25. Τὸ μωρὸν Θεῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐςί· καὶ τὸ ἀσθενὲς τῦ Θεῦ ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐςι. Lis itaque haec non mea, ſed Paulina eſt. Quinimo certiſſimum eſt, Deum ſapientum non minus, quam rudiorum ſaluti conſuluiſſe, et quidem

dem διὰ μωρίας τῦ κηρύγματος, l. c. v. 21. quia mundus ἐν τῇ σοφίᾳ τῦ Θεῦ ἐκ ἔγνω διὰ τῆς σοφίας τὸν Θεόν. Ad ſecundum autem conſequentis membrum ſupra recenſitum, nimirum *quod Deus, qui citra ſummam neceſſitatem naturae ordinem non migrat, tot miraculis ad confirmandum euangelium vſus non fuiſſet, ſi auctoritas diuina euangelii ex principiis rationis demonſtrari potuiſſet;* Vir cel. reſpondet: *miraculis Deus euangelia de Ieſu Seruatore confirmauit, tam quia plurimi mortalium, ad longas demonſtrationum ſeries percipiendas, inepti, et nihilominus ad aſſenſum mouendi erant, quam quia, hunc Ieſum Nazarenum eſſe illum θεάνθρωπον vicarium hominum, quem opus redemtionis poſtulabat, conſtabat ex illis euidentiſſime.* Verum neutra ratio allata ſententiam meam falſam eſſe probat. Primum enim ſententia illa, quod miracula minus neceſſaria fuerint, modo plures mortalium ad longas demonſtrationum ſeries capiendas magis apti fuiſſent, ſupponit illud, quod eſt falſiſſimum, ſc. auctoritatem diuinam euangelii ex ratione, (vel ſepoſitis ſigillis originis SS. diuinae domeſticis et externam euidentiam habentibus) demonſtrari per longas demonſtrationum ſeries poſſe. Deinde non video, quo iure Vir cel. miracula N. T. ad ſolam Ieſu Chriſti perſonam reſtringat, nec potius illa pro ſigillis totius euangelii habeat? Adiicit quidem Vir doctus, ex miraculis doctrinae additis non ſequi, vt haec ſanam rationem omni modo excedat, prouocans ad 1. Reg. XVIII; ſed, cum ipſe Dn. Diſſentiens perſpiciat, quod l. c. per miracula non tam probetur, quod Iehoua exiſtat, quam quod iudaeorum Deus ſit ipſe Iehoua; profecto ex hoc loco non magis demonſtrabitur, veritates naturaliter notas per miracula confirmatas fuiſſe, quam Vir doctus hucusque indicare potuit, quare non totum euangelium, ſed ſola perſona Chriſti, miraculis confirmata eſſet. Pro tertio conſequentis membro, falſitatis pariter accuſato vix eſt, quod multas vindicias agam. Dixeram, quod ex tot V. T. oraculis, duplicem Meſſiae ſtatum toties inculcantibus appareat, diuinam euangelii originem ex principiis rationis (reſpicio autem principia rationis h. l. tanquam criteria ſpecialia quædam diuinæ cuiusdam patefactionis, vid. c. III. ſequens,) probari non potuiſſe. Reſpondet Vir cel.

se ex principiis rationis excitatae, quae reuelationem supponat, genuinum reconciliationis hominum cum Deo medium, (quod V. C. est praecipuum verae diuinae reuelationis criterium) deriuasse. Quam tamen responsionem parum sufficere, fiducia eorum, quae in examine rationis excitatae Carpouianae c. l. huius pertractationis in medium attuli, adfirmo. Vt taceam, si firmus esset nexus meditationum Carpouianarum de speciali indole medii reconciliationis ex principiis sanae rationis deriuata, me vix capere, vnde tam commune sapientiorum scandalum ex praeconio crucis Christi natum sit et tam pertinaciter durauerit, aut quare non potius Deus nexum cruentae mortis vicariae cum principiis rationis per Apostolos indicare, quam tot praedictiones praemittere, et tot superaddere miracula voluerit. Quae autem cum ita sint, iure quodàm meo videor mihi verba Carpouiana superius adducta, quibus falsitatem ratiociniis meis imputat, sic mutare posse: sed vera sunt omnia consequentis membra. E. etiam antecedens.

CAPVT III.

Examen Vindiciarum Carpouianarum, partim ad doctrinam de medio reconciliationis hominum cum Deo, tanquam speciale criterium verae reuelationis: partim ad demonstrationem diuinae SS. originis ex criteriis rationis faciendam pertinentium.

§. I.

Doctrina de medio reconciliationis hominum cum Deo non est speciale criterium diuinae reuelationis.

Denique restat examen sententiae, qua Dn. CARPOVIVS Spec. II. §. IX. ff. medium reconciliationis hominum cum Deo per θεάνθρωπον inter criteria diuinae reuelationis recte a se relatum fuisse propugnauit. Disputat autem Dn. Dissentiens contra commentationem meam de vsu doctae simplicitatis contra scepticos p. 83. 84. vbi adstruxeram, quod ex medio reconciliandi Deum naturaliter occulto speciale diuinae reuelationis criterium duci nequeat, imo quod ne ex medio quidem illo, si naturaliter perspectum esset, repeti possit. Adieceram generalem huius meae sententiae rationem, hanc scilicet, quod sola

sola euidentia interna totius aeque Scripturae S. ac medii speciatim reconciliationis in ea patefacti (vbi scilicet *de fide humana* sermo est) diuinam vtriusque originem stricte satis euincere nequeat, ideoque sapientiae diuinae placuerit, externam pariter euidentiam prophetiae futurorum contingentium euentu clarissimo comprobatae, atque tot miraculorum cum verbo suo et medio reconciliationis ibi patefacto arctissime coniungere. Adieceram hanc quoque specialem contra Virum cel. rationem, quod, etiamsi fingere velim, medium illud reconciliationis ex naturalibus principiis deriuari posse, tamen id non sit indubitatum diuinae reuelationis criterium. Quam rem vt confirmarem, haec subieceram verba: *Vt enim insufficientia solius euidentiae internae, et quidem NB. naturalis et humanae, ad probandam originem alicuius doctrinae diuinam, illustretur, ponam, exstitisse aliquando impostorem aliquem aeque acuti ingenii, ac Vir cl. qui nexum meditationum confecerit, et hunc in eundem meditationum de medio reconciliationis nexum incidisse. An vero V. C. Dn. Carp. nexum impostoris, quem fingo, propter naturam illius nexus, pro diuina patefactione sibi obtrudi patietur?* Hanc quidem sententiam meam si D. Dissentiens rite solideque confutare voluisset, ostendere debuisset, quod *sola euidentia interna* doctrinae alicuius, siue etiam ipsius medii reconciliationis ex principiis rationis deriuati sufficiat ad demonstrandam illius diuinam originem, et quod eiusmodi stabilitum medium pro idoneo criterio diuinae originis doctrinarum sociarum haberi possit. Nam cum ipse Vir cel. summam §. IX. sui (ad quem nunc respondeo) hanc esse in margine scribat: *an doctrina de medio reconciliationis hominum cum Deo recte inter criteria verae reuelationis relata sit?* cumque ego in citatis Commentationis meae verbis contrarium propugnauerim, quoniam sc. illa doctrina non nisi solam euidentiam internam habet; profecto hoc caput causae defendere Vir cel. debuerat, nec vnice occupari circa vellicandum exemplum impostoris a me allatum, vtpote quod vltra tertium extendi posse, ipse nego. At Vir cel. de necessario a se propugnanda solius euidentiae internae efficacia ne verbulum quidem in medium attulit, conclusiones vero ex impostoris exemplo a

me allato satis ingenioſe duxit, quae tamen ita comparatae ſunt, vt mihi in mentem venire non potuerint, quoniam illud exemplum nullo alio conſilio, quam vt inſufficientiam ſolius euidentiae internae oſtenderem, adduxeram. Interrogat Vir cel. Specim. II. §. IX. in hunc modum: *an ego ipſum nexum meditationum mearum de reconciliationis cum Deo medio diuinam patefactionem vel reuelationem perhibui?* etc. Reſpondeo: an ego hoc Viro docto tribui, cum negarem, nexum meditationum eius et medium reconc. illo comprobatum, vtpote ſola euidentia interna gauiſum, non magis pro criterio diuinae reuelationis haberi poſſe, quam quidem nexus quidam impoſtoris propter naturam nexus ipſius pro diuina patefactione aliis obtrudi queat? Haec tam diu valebunt, dum Vir cel. probet, doctrinam aliquam propter ſolam euidentiam ſuam internam et ſuum in principiis rationis fundamentum, tanquam criterium diuinae originis ſuae et doctrinarum ſociarum reſpici poſſe. Neſcio igitur, vtrum vis argumenti mei ab impoſtore deducti a Viro cel. ſatis accurate recenſita et reiecta ſit, vbi l.c. ille ſic loquitur: *Denique quae haec conſequentia eſt: potuiſſet impoſtor in nexum meditationum meo ſimilem incidere, qui propterea pro diuina reuelatione habendus non eſt. Ergo inter criteria, quibus vere diuina reuelatio a ſpuria diſtinguatur, non eſt referendum hoc, quod medium reconciliationis cum Deo per θεάνθρωπον mortalibus debeat exponere?* Scopus potius totius huius diſputationis meae contra inſufficientiam ſolius euidentiae internae docet, vim exempli mei hanc eſſe: quoniam ſola dogmatis cuiusdam euidentia interna generatim et perfecte non ſufficit ad diuinam illius originem (de fide humana loquor) demonſtrandam; certe nullus nexus meditationum ex principiis rationis ſiue excitatae ſiue non excitatae faciet, vt dogma aliquod ſit idoneum et omnem oppoſiti formidinem excludens criterium diuinae reuelationis, quandoquidem alias vel impoſtor felicioris ingenii doctrinas aperte ſpurias nexibus meditationum ſuarum, non minorem aliquando ſpeciem, quam nexus meditationum Carp. circa toties commemoratam doctrinam diuinitus patefactam verſantium, habentibus, periculoſe ornare poſſet. Quanquam enim nexus meditationum

Carp.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853209317/phys_0048
DFG

Carp. circa centrum totius caeleſtis veritatis verſatur; tamen eundem hiatu non vno laborare, exiſtimo probatum eſſe. Interim, ſi vel in commentatione mea exemplum impoſtoris allatum ſatis adcurate non circumſcripſeram; liceat mihi nunc corrigere illam obſcuriorem breuitatem meam. Quae autem cum ita ſint, praeter cauſam Vir cel. fin. §. IX. tanta cum fiducia mihi videtur ſentire, per hoc ipſum ſuum de medio reconciliationis ex principiis rationis deriuato criterium Sacram Scripturam, vt reuelationem veram diuinam ab omnibus reuelationibus diſcerni poſſe. Id enim criterium eſt demum illud, de quo quaeritur, adeoque probationis loco afferri nondum debet. Etiamſi etiam nulla alia, quam noſtra, in orbe religio tam ſanctum medium reconciliationis cum Deo exhibet, idemque religionem Iudaico-Chriſtianam vere venerabilem facit; tamen Deus illud medium, quod ex ſua caeleſti patefactione fluxerit, orbi terrarum per criteria externam euidentiam habentia, tanquam per ſigilla diuina (ſecundum fidem humanam ſcilicet) perſuadere et confirmare ſapientiſſime voluit, qualia ſunt tot priſcae de illo reconciliationis medio praedictiones euentu comprobatae, euentusque ipſe earum innumeris miraculis diuinis confirmatus.

§. II.

Vindiciae Carpouianae, quibus demonſtrationem diuinae Scripturarum S originis ex criteriis rationis, generatim defendit, recenſentur.

Cum vero Dn. CARPOVIVS Specim. II. § X. XI. ſententiam ſuam de criteriis verae diuinae reuelationis, ex principiis rationis, non aliunde arceſſendis, contrà me defendere pergit; requiritur, vt partim de meis ipſi factis obiectionibus, partim de argumentis mihi viciſſim ab illo oppoſitis, breuiter prius conſtet, quam rem ipſam aggrediar. *Intempeſtiuum et ſuſpectum principiorum rationis vſum, et iniquam eorum cum theologia miſturam eſſe dixeram Comment. p. 85. quando V. C. ſaepe recenſitum nexum meditationum ſuarum plane inanem pro praecipuo criterio et baſi verae diuinae reuelationis venditauerit: - - Suſpectam et periculoſam mihi videri ſententiam affirmaueram, qua diuina SS. origo firmius ex rationis principiis, quam ex ſolis domeſticis et ſpecialibus S. Scripturae criteriis demonſtrari poſſe credatur, quandoquidem hoc pacto diuinior Scriptura non tam ſuis, quam alienis fundamentis nitatur.* Verum ita aegre

haec tulit Vir cel. vt mox nihil ſtabile ſanique in iſta mea ſententia ineſſe putaret, mox eandem ex mero odio contra librum ipſius profectam eſſe crederet Specim. II. §. X. In eo nihilominus ſibi quaſi gratulatur §. XI. quod conſentiam, ad diuinam originem S. Scripturae demonſtrandam criteriis certis opus eſſe, quibus vere diuina reuelatio a ſpuria et fictitia diſtinguatur. Vnde ſequentem in modum me aggreditur. *Aſt vnde, quaeſo, eadem criteria hauries? Aut ex ratione, aut ex reuelatione ſumas, neceſſe eſt. Si ex reuelatione putas hauriendа eſſe, veritatem reuelationis ex veritate criteriorum, veritatemque criteriorum viciſſim ex reuelationis veritate probas, quod circulum in probando vitioſum eſſe, nemo tyronum non perſpicit. Sunt igitur criteria vere diuinae reuelationis ex principiis ſanae rationis deriuanda; quod ego feci Theol. reu. c. I.*

§. III.

et refutantur.

Summa generalium harum vindiciarum Viri cel. ad bina capita recidit, quorum primum eſt: *criteria diuinae S. Codicis originis ex reuelatione hauſta non niſi ad vitioſum in probando circulum ducere poſſunt.* Alterum vero hoc eſt: *criteria vere diuinae reuelationis ex principiis ſanae rationis vna cum Carpouio deſumenda ſunt.* Quod quidem ad prius caput attinet, Virum cel. proprio gladio iugulaturus, ipſi in memoriam reuoco verba Theol. dogm. §. 83. ſchol. quibus diuinam veritatem reuelationis iudaicae ex miraculis confirmauerat: *Audire*, inquit, *hic mihi videor, quid ſis obiecturus. Veritatem, inquis, reuelationis iudaicae me ex miraculis, veritatem autem miraculorum ex reuelatione iudaica probatum ire, quale probandi genus circulus vitioſus audiat. Fallitur haec obiectio. Reuelatio iudaica et tanquam reuelatio diuina, et tanquam liber hiſtoricus, cui fides hiſtorica deneganda non eſt, abſtrahendo a diuinitate eius, ſpectari poteſt. Enimuero ſi reuelationis iudaicae diuinitatem ex miraculis, pro eadem praeſtitis, miraculorum veritatem autem ex eadem reuelatione, quatenus vt librum hiſtoricum tantum ſpectamus, cui fides hiſtorica ſine vlla ratione denegaretur, demonſtramus, non eſt, cur circulus probationis vitioſus nobis exprobretur.* Quae Carpouiana, mutatis mutandis, ſufficere exiſtimo ad diluendam Viri cel. contra me factam obiectionem, quaſi crite-

criteria diuinae SS. originis ex reuelatione hausta non nisi ad vitiosum in probando circulum ducere possint. Ad posterius igitur vindiciarum Carpouianarum caput me conuertens, obseruatu maxime necessarium esse sentio, non sine ambiguitate dici, quod diuina SS. origo ex principiis rationis aut demonstrari aut non demonstrari debeat. Quodsi ego quidem simpliciter prorsus negaueram, demonstrari diuinam SS. originem ex principiis rationis posse; haberet Vir doctus, quod mihi merito exprobraret. Etenim cum ipse meus demonstrandi diuinam SS. originem modus ex criteriis S. Scripturae domesticis et specialibus, e. g. prophetia atque miraculis, exeat tandem in communia rationis principia, qualia sunt: effectus testatur de causa: notitia futurorum contingentium non potest merae creaturae ascribi: Deus non potest decipere etc. profecto errarem, si communia illa rationis principia nollem pro *generalibus* diuinae reuelationis criteriis habere. Verum de eiusmodi generalibus diuinae reuelationis criteriis in commentatione mea de vsu doctae simplicitatis c. III. non sum locutus, sed NB. *specialia* (vid. l. c. p. 85.) et domestica diuinae reuelationis criteria negaui ex principiis rationis repetenda esse, suspectamque dixi sententiam esse, qua diuina S. Script. origo firmius ex rationis principiis, quam ex solis domesticis et specialibus SS. criteriis demonstrari posse crederetur. Quo pacto Vir doctus generatim iam tum peruidet, quo sensu ego criteria S. Script. ex principiis rationis aut ipse repetam, aut non repetam, et quod contra criteria diuinae reuelationis ex principiis sanae rationis hausta non alio respectu disputem, quam quo illa pro specialibus criteriis venditantur, quae sola sunt domestica.

§. IV.

Verum in generalioribus illis Viri cel. contra me instituta disputatio non acquieuit, sed vlterius processit eodem §. XI. *Vt iniquitas*, inquit, *vel querelae vel exprobrationis manifesta ratione ad liquidum perducatur, non posse O. diuinam SS. originem aduersus vllum religionis christianae hostem debite demonstrare, ex iis ipsis verbis manifeste euincam, quibus me in suspicionem adducere conatus fuit.* Vt ambages aciei l. c. contra me instructae praeteream, neruus argumenti Carpouiani huc

Peculiaris Dn. Carpouii sententia, quasi ego diuinam S. Scripturae originem aduersus neminem scepticorum

firmiter demonstrare queam, recensetur,

huc redit, vt me pro diuina S. Script. origine, non aliter, quam sic argumentari posse ostendat: *S. Scriptura continet prophetias impletas, et miraculis confirmata est. E. est reuelatio vere diuina. Enthymemati,* inquit, *huic aut addi potest maior deficiens, aut non potest. Addi posse arbitror, te esse dicturum. Est autem haec: quicunque liber continet prophetias impletas, et miraculis confirmatus est, ille est reuelatio vere diuina. Nego hanc maiorem, donec demonstrationem illius afferas legitimam. Vnde igitur, quaeso, demonstraturus es? aut ex reuelatione, aut ex ratione demonstratio proficisci debet. Visne ex reuelatione? oppono circulum in probando. Visne ex ratione? sic intempestiuum et suspectum principiorum rationis vsum oppono. Nulla hic superest elabendi rima. Nam si maiorem, quae continet reuelationis verae criteria, ex ratione sana probaturus es, facis, quod ego feci, criteria reuelationis vere diuinae ex sana ratione adstruendo; qua de causa eadem aduersus te, quam mihi mouisti, querela vel exprobratio valere debet. Quoniam igitur maiorem pro tuis adsertis plane non potes probare, nec tamen illa sine probatione conceditur, nec posse te euictam dare conclusionem, palam est. Vnde si euincere te posse conclusionem, arbitraris, falsitas vanitasque exprobrationum tuarum sole meridiano clarior elucet.*

§. V.

et confutatur.

Testor hic subtilitatem tantopere a Viro cel. commendatam, testor candorem eius, siquidem vix persuadeor, serio haec scripta esse! Ex commentatione enim mea de vsu doctae simplicitatis contra scepticos, eiusque speciatim verbis, quae p. 85. leguntur, et contra quae Dn. CARPOVIVS Spec. II. §. XI. pugnat, mediocri cum attentione consideratis apparet, Virum doctum contra me prorsus non pugnare. Verba mea haec sunt: *Suspecta et periculosa mihi videtur sententia, qua diuina SS. origo firmius ex rationis principiis* (sc. medio reconciliationis ex principiis theologiae naturalis a Dn. CARPOVIO deriuato) *quam ex solis* DOMESTICIS ET SPECIALIBVS * *SS. criteriis, demonstrari posse creditur.* Principia rationis, ex quibus

* *Specialia* criteria etiam appellari *historica* possunt, vt clarius eorum differentia a communibus theologiae naturalis principiis pateſcat.

bus diuinam SS. originem firmiter probari posse nego, sunt principia rationis NB. *loco criteriorum specialium* et historicorum diuinae reuelationis, aut saltem inter haec collocata, speciatim medium reconciliationis ex sola ratione a Viro cel. deriuatum; et pro praecipuo criterio diuinae reuelationis venditatum, vti tum verba commentationis meae citata, tum integrum c. III. comment. docet, quo propugnaui, indolem specialem medii reconciliationis ex principiis rationis demonstratam non posse pro speciali criterio diuinae reuelationis haberi, quoniam illud non nisi euidentiam internam habet. Cum vero inde Vir cel. concludit, me diuinam SS. originem aduersus neminem scepticorum hoc pacto demonstrare debite posse, siquidem, si maiorem propositionem addi velim argumento meo hanc: quicunque liber continet prophetias euentu comprobatas, et miraculis confirmatus est; ille est reuelatio vere diuina; statim in probanda maiore aut ad principia rationis ipse confugere, aut sine iis turpiter me dare debeam; scire profecto cupio, partim quonam commentationis meae loco aut principia rationis, quatenus ea ad maiorem illam propositionem probandam necessaria sunt, aut ipsa criteria diuinae reuelationis NB. * *generalia* mox a me recensenda, reiecerim; partim quare mihi prorsus non licuerit negare, ex principiis rationis, (sed tanquam *specialibus* criteriis spectatis) diuinam SS. originem demonstrari posse, quoniam ipse scilicet concedere debeo, sine principiis siue vsu rationis non constare, quod doctrina quaedam modo aliquo miraculoso patefacta originis diuinae sit. Annon enim vno eodemque loco stare haec bina possunt: alterum, quod doctrina prophetia futurorum contingentium et tot miraculis confirmata sit vere diuina, ex principiis rationis vnice cognoscitur: alterum vero: quod reconciliatio peccatorum cum Deo per Christum sit medium diuinitus patefactum, ex solis domesticis SS. criteriis (non tamen excluso rationis organico vsu) constat. Dum a Viro cel. pugna hic demonstrabitur adesse, exi-

 stimem,

* *Generalia* criteria voco, sine quibus nullus codex diuinus esse potest: *specialia* voco, per quae noster codex demonstratur necessario diuinus esse.

ſtimem, eum non contra me pugnare, quoniam alia quaeſtio eſt: vnde criteria ſpecialia et hiſtorica diuinae reuelationis *repeti;* alia vero: annon per vſum rationis illa *tanquam talia cognoſci* debeant? repetuntur ſane illa vnice *ex* Scriptura S. cognoſcuntur vero vt talia non niſi *per* rationem. Diſtinguere vtique debuerat Dn. CARPOVIVS *dogmata* Scripturae S. ex. ca. doctrinam de medio reconciliationis etc. et *ſigilla dogmatum SS.* cum haec, et quidem propter externam ſuam euidentiam, non vero illa, vtpote internam tantum euidentiam habentia, criteriorum ſpecialium locum tueri queant. Sequitur autem hinc, fruſtra a Viro cel. Specim. II. §. XI. ſcriptum eſſe: *ſi maiorem, quae continet reuelationis verae criteria, ex ratione ſana probaturus es, facis, quod ego feci, criteria reuelationis vere diuinae ex ſana ratione adſtruendo.* Non facio, Vir docte, quod tu feciſti, quoniam tu criteria reuelationis etiam *ſpecialia* ex ratione repetis; ego vero ſola *generalia* criteria inde peto. En fructum modi docendi, quo in Theol. reu. tua criteria diuinae reuelationis generalia et ſpecialia non diſtinxiſti ſatis! Quae confuſio mire alit aequiuocationem illam τῆ demonſtrare diuinam SS. originem ex principiis rationis, ſiquidem ſub hiſce verbis et vera et falſa ſententia abſcondi poteſt. Ex communibus rationis principiis generatim recte probatur, Scripturam S. non complecti res contradictorias, et ea, quae ſunt contra rationem: eandem ſupplere defectum rationis, modoque, quisquis forte ille fuerit, diuino ad homines tranſiiſſe, et quae huc pertinent alia criteria reuelationis diuinae *generalia*, quae quidem ad Scripturam S. recte applicantur. At vnice ex SS. haurienda ſunt *ſpecialia* et *hiſtorica* criteria, etſi eadem per rationem pariter diiudicantur. Hinc, etiamſi cum Viro docto ſentio: quicunque liber continet prophetias impletas et miracula; is eſt diuinus; non tamen citra ſpecialia ſigilla dogmatum Scripturae S. defendere poſſum: quicunque liber medium reconciliationis ex principiis ſanae rationis deriuatum et alia dogmata egregia continet; eſt θεόπνευστος. Sigilla enim dogmatum SS. qualia ſunt prophetiae impletae et miracula, quoniam externam euidentiam habent, ſine dubio contra ſcepticum (vbi de fide humana ſermo eſt) plus roboris habent, quam dogmata SS. et ſine illis ſigil-

lis

lis spectata, quoniam haec non nisi euidentiam internam habent, solamque veritatem, non diuinam originem suam immediate probant. Illustrare hanc rem multis exemplis poteram, ex. gr. per modum probandi γνησιότητα *testamenti* alicuius, nisi laborem hunc superfluum fore crederem. Frigide igitur a Viro cel. scribi l. c. §. XI. autumo: *Siccine a me dictum criterium* (sc. medium reconc.) *non est domesticum? nonne domestica criteria etiam interna sunt, quae ex materia et forma SS. desumuntur? An vero ad materiam Scripturae S. non pertinet, quod medium reconciliationis cum Deo per θεάνθρωπον doceat? an in libro SS. hoc non legitur consignatum?* Frustra quoque scribi l. c. opinor: *nescio, quo tandem docta tendat simplicitas commendata?* Ea enim tendit eo, vt id, quod nimium est in demonstranda ex principiis rationis diuina auctoritate Scripturae S. sedulo euitetur. Dum autem id, quod nimium in hac re est, reprehendo, nequaquam nego, sed acriter potius propugno, quod b. HVLSEMANNVS praelect. in F. C. p. 218. docet: *diuinitas*, inquiens, *scripturarum, siue cuiuscunque verbi diuini, multis quidem de causis credi potest, non solum tanquam probabiliter vera, sed etiam tanquam humanitus infallibilis, vtpote ex miraculis: non tamen fideles dicuntur propter hanc fidem, sed propter infusam per verbum a Spiritu S.* conf. plura praestantissimorum Theologorum huc pertinentia testimonia, quae Comment. de vsu doctae simplicitatis contra scepticos c. I. §. VI. adduxi: itaque ea, quae l. c. §. V. de efficacia doctae simplicitatis in conuincendis scepticis de diuina religione christiana contra illos differui, qui in ea haeresi hodie versantur, vt veri nominis demonstrationem proprieque dictam certitudinem in orbe dari negent, nisi quae ex principiis rationis fluat, ita, vt reliquas demonstrandi vias per vsum rationis supercilioſe spernant, et sacrum eleusinium existiment sibi solis cognitum esse, cum natura edocti simus omnes, demonstrationem esse probationem rerum ignotarum ex notis certissime profluentium. Scriptura S. sane per criteria sua domestica non potest modo pro diuina haberi, sed fieri etiam propterea prorsus non potest, quin sit diuinae originis. Nimium vero quid in demonstranda secundum CARPOVIVM ex principiis rationis diuina SS. origine deprehendo, quia Vir cel. hoc pacto arroganti-

tulae Rationaliſtarum turbae neſcio ex qua cauſa materiam gaudendi praebet, quaſi viri Theologi profiteri debeant ipſi, verbo diuino fidem vnice haberi, quod rationi conſentiat.

§. VI.

Obiectiones Dn. Carpouii ſpecialiſſimae quaedam recenſentur et refelluntur.

Denique Dn. CARPOVIVS Specim. II. §. XII. ſſ. ſeſe defendit, accuſando et reiiciendo plura placita mea; ſed quam feliciter aut infeliciter hoc conſilium ceſſerit, videndum eſt. Primum me Comment. p. 85. falſo ſibi tribuiſſe adfirmat, quod ex ſolis domeſticis criteriis diuinam ſacri codicis originem ſatis firmiter contra ſcepticos demonſtrari poſſe negauerit; cum tamen in theol. dogm. ſua criteria reuelationis vere diuinae maximam partem ex materia et forma SS. deſumta, adeoque domeſtica vel interna ſint. Verum reſpondeo α) quod contrarium pateat ex Comment. p. 85. med. *equidem Viro Cl. non tribuo, quod criteria SS. domeſtica reiecerit* etc. β) quod notanter vocem: *ſolis* adiecerim, adeoque veritatem ſententiae meae confirmet ipſe Vir doctus tum per nexum meditationum ſuarum, tum per ea, quae de vſu et neceſſitate eius contra ſcepticos Theol. reu. §. XXXV. ſchol. et Specim. I. §. XVII. ſcripſit: *neque*, inquiens, *contra ſcepticum, nec contra Socini aſſeclam, conuenientiam illam ſimpliciter aſſerere, ſufficit etc.* γ) quod Vir cel. quidem omnino domeſtica criteria adhibeat, ſed non ſatis accurate, cum ex omnibus iſtis iunctim ſumtis diuinam SS. originem deriuare immediate velit, etſi id fieri nequit, quia alia eorum euidentiam internam, alia externam habent. Deinde mihi exprobrat, quod rationis abuſum eſſe dixerim, quo redemtionem generis humani per θεάνθρωπον, ex ſola patefactione cognoſcendam, exprincipiis rationis deriuauerit, cum tamen rationem excitatam et non excitatam ſollicite diſtinxerit. Quare l. c. ſic fatur: *ſi de ratione ſibi ſoli relicta loquaris, falſum eſt, quod illi cognitionem redemtionis generis humani per θεάνθρωπον adſcripſerim* (Specim. I. §. 16.) *ſi de excitata, nego, ei adſcriptum eſſe, quod non aſſequitur. Quod enim iſtam doctrinam aſſequatur, ex tota conſtat demonſtrationis meae ſerie Theol. reu. §. 1-35.* Verum quid cum de vſu Carpouiano diſtinctionis inter rationem excitatam et non excitatam, tum de illa ſerie demonſtrationis ſentiendum ſit, ex iis, quae c. l. diſputaui, alios iudicare volo. Tum Vir cel. Specim. II. §. XIII. metum

tum meum, ne nimium humanae rationi tribuatur, vanum esse pronuntiat, et veram reuelationem a spuria sine criteriis ex rectae rationis penu desumendis distingui non posse, tam manifestum esse sentit, vt omnibus sensibus orbus esse videatur, qui secus senserit. (§. XI.) Responsio autem mea ex superioribus iam tum patet. Praeterea vbi vir doctus l. c. §. XIV. theologiam propter se problematicam futuram esse negat, quod scil. meditationes ipsius nec sint inanes, nec a me inanitatis conuictae sint: sed §. XV. potius me ferire aerem, satis acerbe contendit; lectores etiam atque etiam rogo, velint ea, quae c. I. inprimis et c. III. nunc fusius deduxi, cum apologia Carpouiana Specim. II. §. XIV. XV. conferre, et hinc iudicare. Denique vbi l. c. §. XVI. XVII. nouitatem sibi a me obiectam esse, Vir cel. indignatur; fateor, me prius de iniquitate obiectionis meae non conuictum iri, quam firmitatem nexus meditationum Carpouianarum maiorem videro.

CAPVT IV.

Examen vindiciarum quarundam generaliorum, statim ab initio speciminis prioris a Dn. Carpouio capiti controuersiae nostrae praemissarum.

§. I.

Vtrum subtilitas generatim spectata palmam praeripiat doctae simplicitati?

Etiamsi caput causae, quam in vtroque specimine Dn. CARPOVIVS egit, hoc est, vt specialem indolem medii reconciliationis humanae per θεάνθρωπον quam ex principiis sanae rationis Theol. reu. §. 1-35. hoc consilio deriuauerat, vt praecipuum inde criterium verae diuinae reuelationis nasceretur, contra me confirmaret; tamen Viro cel. placuit, etiam alia quaedam attingere, et praestantiam inprimis subtilitatis praedocta simplicitate, quam in commentatione mea commendaueram, nouem prioribus Specim. I. aphorismis propugnare. Haec igitur causa est, propter quam de hisce quoque, vt tut leuioris momenti rebus nunc breuiter dispiciam. Ad Spec. I. §. 1. 2. 3. quod attinet, obseruo, quod docta simplicitas, qualem in commentatione de vsu doctae simplicitatis contra scepticos commendaui, prorsus non opposita sit subtilitati, qualem Vir doctus l. c. descripsit, ideoque contra eiusmodi generalem subtilitatis notionem nihil moneam: imo ne quidem contra

§. 4. negare velim, mentem aliquando, quo subtilior est, eo perfectiorem esse: concedo pariter, quod §. 5. inculcatur, subtilitate mentis opus esse ad ipsam theologiam rite addiscendam et percipiendam, quoniam vel ex ipsa mea doctae simplicitatis definitione hoc fluit. Hinc autem necessario sequitur, vt simplicitas, quae secundum Dn. CARPOVIVM caligat ad rerum minutarum differentiam perspiciendam, et distinguenda confundit, nequaquam sit docta illa simplicitas, cuius ego praestantiam in commentatione adstruxi, quandoquidem totidem verbis scripsi, illam interdum non differre a solida subtilitate, ad facilem quippe ac simplicem breuitatem redacta. Quamobrem etiam nullum est dubium, quin eiusmodi docta simplicitas ad similitudinem mentis diuinae aeque accedat, ac subtilitas Carpouiana §. 6. descripta. Neque §. 7. et 8. contra me pugnat, nisi quod iterum iterumque moneam, simplicitatem, quae significat impotentiam multas res, easque minutas discernendi, non esse doctam simplicitatem meam, adeoque defensione mea indignam. Quin ne iis quidem simpliciter contradico, quae §. 9. adstruuntur, scilicet quod ipse consentiam, solidam subtilitatem a docta simplicitate non expugnari. Interim vbi Vir cel. verba commentationis meae eo animo in medium attulit, vt inde probaret, praestantiam subtilitatis suae (§. 8.) et verae prae docta simplicitate a me in dubium vocari non posse; (vid. init. §. 9.) profecto fallit aut fallitur, quoniam ex admissa concordia doctae simplicitatis et solidae subtilitatis nulla hactenus sequitur alterutrius praerogatiua.

§. II.

Qualis viri cel. doctrina de criteriis verae diuinae reuelationis sit, si generatim spectetur?

Praeter vindicias subtilitatis suae, Vir cel. etiam vindicias expositae in theol. reu. doctrinae de criteriis vere diuinae reuelationis exhibet Specim. I. §. 11. not. Postquam enim Dn. dissentiens §. 11. summam sententiae suae a me in commentatione cit. impugnatae repetierat, quae huc redit, quod rationi sibi relictae soli probabile sit, miseris mortalibus medium reconciliationis cum Deo a Deo datum esse: probabiliterque inde sequatur, vt detur reuelatio diuina, et medium reconciliationis in genere, et specialem pariter indolem eius exponens: itemque quod ex criteriis verae diuinae reuelationis, duce recta ratione inuestigandis, speciatimque ex medio reconcilia-

liationis cum Deo per rationem excitatam demonstrando, diuina SS. origo probetur; in nota §. 11. subiecta generales doctrinae suae de criteriis vere diuinae reuelationis vindicias contra me prius agit, quam ad recensita placita ex instituto defendenda sese accingat. Hinc l. c. primum contendit, me, qui in commentatione p. 77. scripseram, quod Dn. CARPOVIVS ex omnibus ad Scripturam S. applicatis criteriis diuinam Scripturae S. veritatem aeque euidenter fluere existimaret, neutiquam assecutum esse mentem suam, siquidem ipse non ex quolibet criteriorum seorsim spectato, sed ex omnibus simul ad Scripturam S. applicatis, et in eadem deprehensis, diuinam illius originem euidentissime patere dicat: concluditque adeo, censuram meam esse intempestiuam atque nullam. Verum, nisi me omnia fallunt, sententiam Carpouianam recte satis a me accipi memini, quoniam hoc ipsum, contra quod disputaui, est, quod Vir cel. ex omnibus criteriis simul sumtis diuinam Scripturae S. originem demonstrare voluerit. Nec adhucdum erroris in hac re mihi conscius sum, siquidem diuina alicuius reuelationis origo non nisi ex criteriis hanc sufficienter probantibus deriuari potest, non vero ex criteriis, quae per se nihil aliud, nisi θεοπρέπειαν aut veritatem doctrinae alicuius indicant. Cum vero non omnia criteria vere diuinae reuelationis, quae Dn. CARPOVIVS recensuit, speciatimque inter ea medium reconciliationis (vti in commentatione de vsu doctae simplicitatis probaui) per se probet diuinam originem suam; stat sententia, heterogenea illa criteria ad vnam eandemque rem demonstrandam perperam iungi. Quae opinio mea tam diu est firma, dum Dn. CARPOVIVS euincat, ex omnibus a se recensitis criteriis diuinam reuelationis alicuius originem immediate fluere. Quid? quod virum cel. qui naturam verae subtilitatis in eo posuerat, vt actu a se inuicem discernibilia licet minuta distinguerentur, (Specim. I. §. 3.) plane non decebat, ex iunctim sumtis criteriis adeo inaequalem probandi vim habentibus hic procedere. Quamobrem non video, quod, (vti Vir cel. in nota cit. existimat) vana sit sententia mea, qua in commentat. adstruxi, ex medio reconciliationis hominum cum Deo, tanquam criterio verae reuelationis ad Scripturam S. applicato vnice fluere confor-

conformitatem Scripturae S. cum sana ratione, et veritatem doctrinarum in SS. comprehensarum, non vero θεοπνευστιαν. Etenim quis sibi persuadeat, id omne, quod principiis rationis conforme est, ex diuina fluxisse inspiratione? Neque est, quod mihi opponatur, θεοπνευστιαν tamen ex reliquis criteriis immediate fluere; nam hac de re non est quaestio, sed potius de illa: vtrum ex medio reconciliationis hominum cum Deo, in se spectato, tanquam criterio, θεοπνευστια SS. possit demonstrari? Si vero hoc ipsum non est in illo criterio seorsim considerato; nec inest in eo iunctim cum aliis sumto, adeoque hoc saltem criterium inter reliqua θεοπνευστιας SS. criteria a Dno. CARPOVIO male relatum est. Attulit quidem Vir cel. l. c. plura commentationis meae loca, quae ipsi parum probantur; sed cum ipse Dn. Dissentiens sub initium notae suae professus sit, haec omnia non pertinere ad caput causae; in me defendendo nec longior, nec pertinacior ero. Stent cadantue illa lectoris iudicio. Interim cum Vir cel. me contra se non pugnare adfirmat, quoniam nunquam in ea sententia fuerat, quod omnis reuelatio vere diuina prophetias continere debeat; obseruari velim, me in Comment. disputasse contra Theol. reu. §. 38. schol. 2. vbi haec leguntur verba: *ex ratione antea criteria reuelationis verae inuestiganda sunt. Nam sine dubio illa reuelatio vere diuina erit, cui omnia verae diuinae reuelationis, quae sana ratio euidenter docet, conueniunt.* Cum igitur Vir cel. etiam prophetiam inter criteria diuinae reuelationis, quae ANTEA ex ratione inuestigari, et deinceps ad Scripturam S. applicari debebant, numerauit; hinc factum est, vt negarem prophetiam eiusmodi criterium generale esse, quod antea ex ratione inuestigandum et ad Scripturam S. applicandum sit, quoniam ad quamlibet reuelationem diuinam prophetia non requiritur, ideoque potius illa tum demum speciale criterium verae diuinae reuelationis nascitur, vbi in hac inuenitur. An autem hoc ipsum contra Dn. CARPOVIVM non sit, alii iudicent. Quodsi autem alia quaedam Viro cel. tribui, quae ipse non docuit, veniam peto, quoniam illud praeter opinionem factum est. Iniustitiam tamen querelae meae, quod Vir cel. misturam criteriorum SS. internorum et externorum, quae voco, itemque confusionem criteriorum

riorum generalium atque specialium male admiserit, quam Vir doctus commentationi meae obiecit, nondum agnoscere possum. Distinctio enim accurata criteriorum, quae aut ad solam Scripturae S. veritatem ac Θεοπρέπειαν, aut ad eiusdem simul Θεοπνευστίαν et diuinam originem cognoscendam faciunt, me iudice, inseruit firmiori diuinae reuelationis demonstrationi.

§. III.

Vtrum Vir cel. notitiam medii reconciliationis generatim spectati probabiliter, an certo ex principiis rationis constare adstruxerit?

Meliori autem, fateor, iure aut saltem specie Vir cel. sese contra verba commentationis meae p. 80. tuetur, quae sic habent: *non aliqualem spem medii ad fauorem Dei, non conformitatem medii nobis patefacti cum sana ratione, sed ipsam illius medii necessitatem ex attributis diuinis fluentem, imo naturam atque specialem indolem eius ex principiis rationis stabilire, adeoque illud non per rationem illustrare, sed ex ratione deriuare voluit Vir Cl.* Posteaquam enim Vir cel. Specim. I. §. XII. vindicias sententiae suae de medio reconciliationis hominum cum Deo ex principiis rationis demonstrabili nunc molitur; recensionem iniuriae sibi a me illatae statim praemittit §. XIII. Adserit quippe, me certam illius medii notitiam ex principiis sibi relictae rationis fluentem finxisse, qualis tamen verbis suis sit contraria, cum expresse dixerit, *rationi sibi relictae soli probabile tantum esse, miseris mortalibus medium reconciliationis cum Deo a Deo datum esse.* Vult adeo Vir cel. me res sollicite ab ipso distinctas, nimirum medium reconciliationis hominum cum Deo in se, et indolem illius specialem confudisse, quod ipse necessitatem medii illius in se, ex attributis diuinis fluentem nusquam docuerat, vti ex Theol. reu. §. 15. et 26. vna cum scholio probat. Persequitur Vir cel. innocentiae hac in re suae patefactionem per integrum §. 15. Spec. I. adeoque me, qui contra *certam* cognitionem existentiae illius medii ex sola ratione calamum strinxeram, contra se non pugnare, contendit. Quod vero ad haec omnia attinet, vera quaedam, quaedam falsa esse, ingenue profiteor. Ἀκρίβειαν sane in mea sententiae Carpouianae recensione recte a Viro cel. desiderari, largior. Cum quippe totam cogitationem meam in commentatione de vsu doctae simplicitatis c. III. conuer-

tiſſem in ſcholion §. 35. theol. reu. Carp.; factum vtique eſt, vt male negligerem, quae l. c. §. 15. et 26. ſatis diſtincte poſita erant. Mala fide tamen me id non feciſſe, vel inde patet, quod vix veri ſimile ſit, me exprobrationem malae fidei a Dn. CARPOVIO nunc factam, quam facillime praeuidere potueram, ſponte in me deriuare voluiſſe. Attamen nihilominus dubito, quin ſolide probari poſſit, me huius meae praecipitantiae ergo aut prorſus non contra Virum cel. diſputaſſe, aut admodum iniurium in eius ſententiam fuiſſe. Etiamſi enim contra *certam* cognitionem exiſtentiae medii homines cum Deo reconciliantis pugnaui, cum Vir cel. contra non niſi probabilem huius rei notitiam ſoli rationi vindicaret; tamen contra Virum cel. pugnaui, et etiamnum pugno, affirmans, quod ne *probabili* quidem modo ratio ſibi relicta ex attributis diuinis conſiderationeque naturae humanae cognoſcere queat, *medium reconciliationis generatim aliquod a Deo datum eſſe.* Haec ipſa ſaltem Viri cel. verba fuiſſe in theol. reu., et eſſe Specim. I. §. 15. conſtat. At enimuero confundere hic Dn. Diſſentiens mihi videtur notitiam rationis ſibi relictae de medio quodam reconciliationis cum Deo, quod *actu datum* ſit, cum naturali *propenſione* ad inueniendam reconciliationem ipſam. Haec quippe bina differunt longiſſime. Naturaliter quidem in homine, qui accuſantibus cogitationibus non caret, propenſionem et aliqualem ſpem dari ad reperiendam et obtinendam benigniſſimi creatoris gratiam, quis dubitet? Exiſtimo autem, cum eiusmodi propenſione et aliquali ſpe confundi non debere ad *probabilem dati* medii notitiam, qualem Vir cel. rationi ſibi relictae adſcripſit. Quanquam enim Vir doct. de generali tantum medio reconciliationis dato loquitur; loquitur tamen de medio *iam tum dato*, vtpote quod oppoſitum eſt medio adhuc patefaciendo. vid. Spec. I. §. XI. Niſi enim me omnia fallunt, hinc patet, quod Vir cel. per datum reconciliationis medium non intellexerit aut poenitentiam qualemcunque hominis, aut alia eiusdem opera ſponte electa; quandoquidem etiam eiusmodi ſententia contra Theol. reu. §. VIII. pugnaret, vbi vnumquodque peccatum poena infinita a Deo puniri debere, ex principiis ſanae rationis adſtruitur, adeoque

per

per medium reconciliationis datum non potest intelligi medium, quod in humana potestate aut inuentione est. Conueniet itaque, spero, inter nos, quod de eiusmodi dato reconciliationis medio nunc disputemus, quod ad auertendam poenam peccati infinitam sufficiat, et quod, quia *datum* est, non sit medium sponte ab homine electum. Verum enim vero quantopere homines omnium temporum partim a notitia eiusmodi medii dati, partim ab ipsa natura eiusmodi diuinitus dati medii, alieni fuerint, confirmat experientia vniuersalis. Neque enim tantum profanae gentes, quae in varii generis sacrificiis, quorum diuinam tamen originem supine ignorabant, acquiescebant, efficaciamque adeo illorum non in diuino instituto, sed in mero opere quaerebant, de vllo diuinitus dato reconciliationis medio cogitarunt; sed ipsi etiam recentiores iudaei plerique, qui pro indole priscae oeconomiae diuinae meritum futuri Messiae sub sacrificiis adumbratum esse, satis clare perspicere potuerant, ab hoc diuinitus dato et quotidie sibi in memoriam reuocato reconciliationis medio sensim deflectebant, donec pharisaei tandem, spreto Mosis ac Prophetarum euangelio, per mera opera sua Dei gratiam inepte quaerebant. Quin hodienum etiam, et gentes euangelio destitutae, et impii Naturalistae aliique degeneres christiani, suo ipsorum exemplo abunde docent, hominem naturaliter superbum abhorrere a medio reconciliationis diuinitus dato, cum potius somnient, Deum aut qualicunque poenitentia hominum, aut externa quadam vitae honestate satis contentum fore. At haec non sunt media a Deo data, sed proprio arbitrio inuenta ac praestita. Quodsi autem haec naturalis est hominis propensio et sententia; non video, quo iure illi vel probabilis notitia medii reconciliationis diuinitus dati tanquam naturaliter nota queat vindicari. Equidem scio, Virum cel. Spec. I. §. 15. existimare, me nullo pacto dubitare debere, quin recta ratio medium reconciliationis cum Deo a Deo mortalibus datum esse, probabili ratione concludere possit; quandoquidem ipse in Comment. mea p. 79. concesserim, quod ex consideratione tum bonitatis diuinae, tum miseriae humanae, homo ad aliqualem spem medii reconciliationis suae

cum Deo naturaliter ducatur. Hinc enim vir doctus argumentatur: *At quomodo ex consideratione ista ad hanc spem naturaliter duci potest, sine probabili quidem ratione,* DATVM *a Deo reconciliationis medium esse, ex attributis diuinis, naturaque hominis perpensis sequitur? spem enim eorum, quae ne probabilis quidem ratio obtinenda spondet, non rationi consentaneam, sed stultam esse, nemo non fatetur.* Sed breuis mea responsio haec est: Loquor in comment. de aliquali spe et NB. *desiderio* medii cuiusdam, ad quod homo naturaliter procliuis est per considerationem tum bonitatis diuinae, tum miseriae humanae. Vagum enim eiusmodi reconciliationis desiderium et qualiscunque spes ad illam in tot gentium sacrificiis aliisque Deum placandi inuentionibus clarissime perspicitur. At eiusmodi spes ac desiderium reconciliationis multum sane differt a notitia vel probabili medii cuiusdam a Deo *dati*, qualem Vir cel. propugnat, adeoque mihi etiamnum licebit ab illo dissentire.

Index.

1.) Christ. Gottfr. Hase (S.P. I.F. Stiebritzii) Primi ductus Systematis Philosophiæ generalissimæ.
2.) Petr. Forsskälii Dubia de Principiis Philosophiæ recentioris.
3.) Christ. Aug. Crusius de Usu & Limitibus Principii Rationis Determinantis, vulgo Sufficientis.
4.) Georg. Bernh. Bilfingeri Articuli generales de Axiomatis Philosophicis.
5.) Io. Christoph. Deckeri (S.P. A.G. Baumgarten) Exercitia demonstrandi in nonnullis Syllogismi affectionibus.
6.) Ahasv. Ioh. Biel de Vera & nimia Simplicitate Elementorum.
7.) Christ. Henr. Hase de Anima humana non medii generis inter simplicem & compositam substantia.
8.) Godofr. Ploucquet de Materialismo.
9.) Ehregott. Nic. Bagge de Vero inter Sensationem & Cogitationem discrimine.
10.) Io. Guil. Schaubert de Idearum in Anima Conservatione.
11.) Io. Rud. Ant. Piderit de Quibusdam Regulis Intellectus.
12.) Io. Nolten (S.P. I.R.A. Piderit) de Abstractionis mentalis Constitutione & Usu.
13.) Dan. Bergmarck (S.P. P. Ahlwardt) de Experientia vitiisq circa eam generalioribus.
14.) Io. Gottl. Zornius (S.P. I.P. Reuschii) de Imperio Voluntatis in Intellectum &c.
15.) Godofr. Ploucquet de Natura Affectuum.
16.) Georg. Bernh. Bilfinger de Præcipuis quibusdam discendi Regulis ex comparatione corporis & animi erutis.
17.) Christoph. Zach. Habdanck Skubowius de Pugna analogorum modorum cum unicitate determinabilitatis in Deo.
18.) Io. Christoph. Dommerich de Approximatione Dei ad creaturas omnipræsentiam ejus non tollente.
19.) Io. Frid. Weitenkampff (S.P. G.G. Keuffelii) de Fato Turcico.
20.) Nic. Barkey de Admirabili Operum Divinorum Harmonia.
21.) Io. Dan. Titius de Necessaria Investigatione finium Divinorum circa res naturales.
22.) Io. Georg. Pfotenhauer de Eo quod in Vita piorum longa & brevi beneficium Divinum est.
23.) Ioh. Gottl. Jachmannus de Genuino charactere Legum Divinarum positivarum universalium.
24.) Georg. Frid. Merzdorf (S.P. G.F. Meiezi) Demonstratio: Pœnas Divinas bonitati Dei non esse contrarias.
25.) Otto Justus Basil. Hesse (Præs. Eod.) de Voluptate cum Religione conjuncta.
26.) Gregor. Langemack de Obligatione hominis ad Religionem ex voluptate quærendâ.
27.) Arndius Grimberg de Obligatione hominum ad quærendam Revelationem.
28.) Io. Frid. Hagen de Felicitate.
29.) Frid. Iust. Tenzel (S.P. G.S. Nicolai) de Submissione mentis, vulgo Humilitate.
30.) Io. Gottl. Segerus de Æquitate Naturali.
31.) Io. Iac. Plitt (S.P. I.C. Spangenbergii) de Eo quod Iuris Naturæ est circa gradus prohibitos & eorumdem dispensationem.
32.) Iust. Laur. Wagner (S.P. I.A. Hartmanni) de Officiis erga Peregrinos.
33.) Ioh. Adolph. Hartmann de Officio Eorum, qui cum Adversariis veritatem communicare volunt.
34.) Ioach. Oporini Apologia pro Usu doctæ Simplicitatis contra Scepticos adversus Corporium.



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853209317/phys_0068
DFG

tiſſem in ſcholion §. 35. theol. reu. Carp.; factum vtique eſt, vt male negligerem, quae l. c. §. 15. et 26. ſatis diſtincte poſita erant. Mala fide tamen me id non feciſſe, vel inde patet, quod vix [illegible] ſimile ſit, me exprobrationem malae fidei a Dn. CARPO- [illegible] nunc factam, quam facillime praeuidere potueram, ſpon- [illegible] me deriuare voluiſſe. Attamen nihilominus dubito, [illegible] probari poſſit, me huius meae praecipitantiae er- [illegible] us non contra Virum cel. diſputaſſe, aut admodum [illegible] s ſententiam fuiſſe. Etiamſi enim contra *cer-* [illegible] exiſtentiae medii homines cum Deo recon- [illegible] cum Vir cel. contra non niſi probabilem [illegible] rationi vindicaret; tamen contra Virum [illegible] pugno, affirmans, quod ne *probabili* [illegible] licta ex attributis diuinis conſidera- [illegible] ognoſcere queat, *medium recon-* [illegible] *Deo datum eſſe.* Haec ipſa ſal- [illegible] reu., et eſſe Specim. I. §. 15, [illegible] hic Dn. Diſſentiens mihi [illegible] de medio quodam re- [illegible] *um* ſit, cum naturali [illegible] nem ipſam. Haec [illegible] r quidem in ho- [illegible] t, propenſio- [illegible] obtinendam [illegible] no autem, [illegible] non de- [illegible] el. ra- [illegible] de [illegible] tur tamen de medio *iam tum dato*, vtpote [illegible] eſt medio adhuc patefaciendo. vid. Spec. I. §. X. [illegible] me omnia fallunt, hinc patet, quod Vir cel. per da[illegible] ciliationis medium non intellexerit aut poenitentiam [illegible] cunque hominis, aut alia eiusdem opera ſponte electa; [illegible] doquidem etiam eiusmodi ſententia contra Theol. reu. §. [illegible] pugnaret, vbi vnumquodque peccatum poena infinita a De[illegible] puniri debere, ex principiis ſanae rationis adſtruitur, adeoque

per

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853209317/phys_0069
DFG